



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Dissertationes De Actibus Humanis**

**Karchne, Simon**

**Augustæ Vindelicorum & Græcensis, 1716**

Articulus II. De voluntario indirecto, seu in causa.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39981**

Quare modus subditi operandi citra petitam licentiam ita potest displicere, ut ratione illius velit retinere totum jus in substantiam rei, talémque usum reprobare intendat, quantum potest, debetque regulariter sic intendere in omni Religione disciplinata ita citati A. A.

Dixi *regulariter*, quia si ex circumstantiis colligitur Prælatus non fore invitum quoad modum, aut saltem non nisi leviter, tunc usus non foret contra Substantiam, sed ad Summum contra modum, propter quem præcisè non apparet grave peccatum, Lug. *num. 125*. Subdens *num. seq.* aliquando nec esse contra modum, ut si nunc non sit accessus ad Superiorem pro licentia, & prudenter præsumo, quòd non habeat voluntatem repugnantem, de qua videndus Lug.

37. Dico 3. Ut Religiosus licitè quidquam accipiat, aut expendat illasò voto paupertatis, certum est, non requiri explicitam, seu expressam Prælati licentiam, sed sufficere tacitam id est, præ-

sumptam actualem (de quâ *num. 25. & seq.*) qualis est, quæ fundatur in consuetudine à Prælato scitâ nec reprobata, dum posset reprobari. Censetur enim consentire Lug. *num. 123*.

Dico 4. Etiam sufficere licentiam præsumptam conditionatam non præcisè sed cum addito isto, quòd Prælatus rogatus non solum daret licentiam, sed quòd nunc non habeat voluntatem resistentem, ac obligantem graviter, quoties, licentia non petitur, & licet modus displiceat, nolit tamen in his circumstantiis graviter esse illicitam substantiam rei, ita Lug. *num. 125*, ex omnium Sententia: sic enim actio non est injuriosa Domino saltem graviter, cum non fiat illo invito, non est proprietaria contra votum paupertatis, cum non fiat invito Superiore, nec fieret si Judicaretur esse contra voluntatem Superioris, Marin. *num. 75*. monens hoc voluntarium interpretativum non esse propriè, & positivè, sed negativè voluntarium, id est non involuntarium, seu non invitum.



## ARTICULUS II.

### De voluntario Indirecto seu in Causa.

38. **C**AUSA, & effectus ex illâ quadrupliciter se habere potest, 1. Ut uterque sit quid positivum, ut ebrietas secuta ex nimio potu. 2. Ut uterque sit quid negativum, ita sequitur omissio missæ ex omisso imperio eam audiendi. 3. Ut cau-

sa sit negativa, & effectus positivus, ut navis submersio ex ommissa à Nauclero gubernatione. 4. Ut causa sit positiva & effectus negativus, ut ommissio missæ ex voluntate eo tempore ludendi. De omnibus agendum est, sub principio, seu regula generali.

D 2

Cau-

Causa sive positiva, sive negativa effectus sive positivi, sive negativi est alia per accidens, alia per se, quando actio aut omissio, in qua praevidetur effectus, est indifferens ad effectum, dicitur causa per accidens, respectu talis effectus, si verò actio aut omissio ex se est ordinata ad ponendum effectum, dicitur hujus esse causa per se, sic ex applicato igne sequitur per se combustio domus: sic præcipiens aut consulens, etsi præceptum seu consilium non sit connexum cum actione præcepta, aut consiliata, est causa per se actionis præcepta aut consiliata, quia præceptum, & consilium ex se est ordinatum ad actionem præceptam, & Consiliatam, ponitur enim eo animo ut sequatur actio præcepta aut consiliata.

Causa per se est duplex; una per se efficax, alia per se inefficax. Causam per se efficacem cum Citato nostro Marin Complut. Doctore *de Actib. Hum. D. 2. num. 3.* voco illam, quae ex se ordinatur ad effectum, ut potiore ex parte conjungatur cum effectu, sic in physicis se habet ignis applicatus ad combustionem; in moralibus amplexus, oscula, & tactus propter delectationem carnalem ex illis ortam sunt causa per se efficax praevisa pollutionis, uti colligitur ex damnata ab Alex. 7. proposit. 40. *est probabilis opinio, qua dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem Carnalem, & Sensibilem, qua ex osculo oritur, secluso periculo consensûs ulterioris, & pollutionis.* Ubi obiter adverto cum Dominico Viva, ad hanc proposit. *num. 4.* in eo distingui delectationem Carnalem, à delectatione merè sensibili: quod carnalis sit illa, quae sen-

titur in carne cum Commotione Spirituum subservientium generationi circa partes libidinosas: sensibilis verò sit, quâ solum placet tactus, aut visus proprii alienivè Corporis absque ulla libidine ob proportionem, & Connaturalitatem cum organo tactus aut visus, ejusmodi delectatio est in tactu rei blandæ ut holoserici, in visu rei pulchræ, quæ naturaliter delectat, in osculo matris infantem deosculantis. Carnalis ergo delectatio convertitur cum Venerea, sic dicta à partibus Venereis, in quibus sentitur.

39. Causa per se inefficax est illa, quae licet ex se ordinetur ad effectum, ex se tamen non adjuvat, seu non influit notabiliter, nec plerumque conjungitur cum effectu: talis causa respectu pollutionis praevisa est aspectus curiosus, levis tactus manus, omnesque actiones illae in se non continent malitiam gravem contra præceptum sextum: è contra omnes actiones contra idem præceptum ex se notabiliter influentes in pollutionem continent malitiam gravem in linea luxuriæ, & ideo ejusmodi graviter sunt prohibita tam ratione sui, quam ratione periculi eventus e. g. pollutionis etiam non intentæ, Sanch. *L. 9. de matr. D. 45. num. 13. & 26.* Omnis igitur, causa per se, sive efficaciter sive ineffaciter ordinata ad effectus existentiam dicitur causa hujus per se efficax, aut inefficax.

E contra omnis causa ex se non ordinata ad positionem effectus, etsi in his circumstantijs præter Intentionem juvet, at conjungatur cum effectu, est hujus causa per accidens: ut ornatus fœmineus juxta suum statum, ejusdem fœminæ ingressus templi est causa per accidens con-


sen-

sensus Juvenis : similiter cibus nimius, & potus est causa per accidens pollutionis pravisæ in Somno, &c.

Titulus Articuli amplissimam præbet materiam in diversissimis materijs tum distinctis, tum indistinctis à materiâ Luxuriæ. Primo loco disputabimus in genere de requisitis in omni materia, ut effectus

sive positivus, sive negativus ex nostra actione, aut omissione secutus sit nobis voluntarius, ac imputabilis indirectè. Deinde descendemus ad materiam libidinofam, ac tandem ad effectus in causa pravisos à Libidine distinctos.

\* \*  
\*



### §. I.

*Quæ sint conditiones necessariae, ut eventus in Causa quæ est causa per se, & efficax eventus, sive positivi sive negativi, sit nobis imputabilis Indirectè.*

40. **E**st quæstio lubrica, ac difficilis inter omnes Theologicas, & ad res morales ob frequentem ejus usum Summè necessaria, & simul periculosa, ne vel lata via præbeat occasionem scandalorum, aut nè ex opposito nimium Conscientias stringat: quare necesse est medium tenere.

Certum est 1. Prærequiri advertentiam de secuturo tali effectu ex tali causa. Non sufficit, quod Intellectus advertat ad rationem delectabilis, aut utilis, si enim inculpatè ignoretur annexa inhonestas, hæc non est libera, nec ad Culpam Imputabilis, & quidem ad mortale peccatum debet præluere advertentia, seu cogitatio perfecta, sive plena, qualis est censenda duntaxat illa, quæ eo modo advertimus ad malitiam, quo homines plenè à Somno excitati attendunt ad aliquod negotium; semiplena erit, si ma-

litiam advertimus eo modo, quo attendunt homines semisopiti, aut semiebrij, aut distracti, aut turbati aliquâ passione vehemente non finenti plene advertere, aut stupidi: mentis stupor non rarò datur in rudibus.

Certum est 2. ad Indirectum voluntarium in causa requiri potentiam impediendi eventum in ea pravisum, aut removendi causam positam.

Tertia conditio, an sit necessaria, est sub lite, videlicet an, ut eventus sequens ex causa sit voluntarius, & imputabilis necessarium sit præceptum, seu obligatio non ponendi causam, aut aliunde positam removendi. Triplex est sententia apud Maurum *de Act. Hum. q. 9. nu. 12.*  
1. Quorundam apud Vasq. *1. 2. D. 24.* negat. 2. Cum Vasq. *c. 3. num. 10.* & communi ex S. Th. *1. 2. q. 6. art. 3.* affirmat de eventu positivo in omissione prævisò

D 3

visò

vifo. 3. Soarez 1. 2. D. 1. de voluntariis. 5. n. 9. distinguit inter eventum, qui per se sequitur ex causa, & eventum qui sequitur per accidens: ad eventum secundi generis, ut sit voluntarius indirectè, postulat præceptum, & obligationem impediendi causam, secus ad eventum prævisum in causa per se efficace declarata num. 38. Hanc mediam sententiam amplectitur etiam Maur, num. 13.

Aliter distinguit Valentia apud Gervas Brisac. *Curs. Theolog. to. 3. tr. 1. de Actib. Hum. D. 1. q. 1. n. 12.* negans requiri obligationem impediendi actum, ut hic possit dici voluntarius præcisè, seu physicè, & inculpabiliter, affirmans autem ad voluntarium imputabile, hæc opinio placet cit. Brisacensi Exemplificanti in scœmina se honestè juxta statum suum ornante, prævidente, quod ex sui aspectu juvenis excitabitur in consensum inhonestum & turpem, hic consensus non est illi imputabilis ad Culpam, est tamen voluntarius, quia si vellet, posset ornatum omittere, aut domi manere, sicquè impedire Consensum. Consentiant Sanch. & Amicus citati n. 52.

P. Joannes Marin è Societate Jesu, de *Actib. Hum. D. 2.* sic distinguit nu. 9. de causâ per se efficace concedens, quod ponenti talem causam sit voluntarius effectus inde sequens bonus aut indifferens, datque hujus rationem num. 23. illi, inquit, est voluntarius effectus, qui eum procurat, sed ponens causam per se Connexam cum effectu bono, aut indifferente, hunc procurat, is enim dicitur effectum procurare, qui hunc saltem virtualiter, & interpretativè vult, sed ponens causam per se connexam cum effectu bo-

no, vult hunc virtualiter, seu Interpretativè, quia in omnium æstimatione ponens similem causam censetur velle talem effectum, aut saltem sibi in eo complacere.

Quando autem eventus est malus ita ut non liceat ponenti causam velle eventum, negat hunc posse esse voluntarium ponenti causam per se efficacem illius, nisi sit præceptum vitandi causam, sed solum esse à ponente permissum.

41. Dicendum est cum cit. Marin ut eventus in causa per se efficace sit voluntarius, debet adesse obligatio vitandi effectum. Oppositum placuit olim in *tr. de Actib. Hum. n. 297.* probatur conclusio plurimæ causæ per se efficaces, & connexæ regulariter cum eventu malo possunt esse nobis voluntariæ ex fine bono, quin sit nobis voluntarius eventus malus, sed non aliunde nisi, quia non obligamur tunc vitare causam, nec eventum, ergo ut sit nobis voluntarius eventus malus in causa per se efficaci eventus mali, debemus obligari vitare causam per se efficacem eventus mali. Probatur ma. exemplis Communiter admissis etiam ab Adversarijs: studium rerum obscenarum, auditio carundem in confessionibus, aspectus & tactus in curandis partibus venereis scœminæ, est causa per se efficax cogitationum turpium, ac commotionis Spirituum generationi subservientium; sed omnes hæc causæ sunt voluntariæ eas ponentibus, quin sit voluntarius malus eventus, qualis est cogitatio mala, id est, cogitatio mali sumpta cum suborta necessariò inde delectatione carnali, uti & commotione Spirituum, ergo plurimæ causæ per se efficaces eventus mali possunt nobis esse volun-

luntariae, quin sit voluntarius eventus malus. Major & minor probatur: major quidem ex definitione causae per se efficaciae in num. 38. dicitur enim illa, quam frequenter seu potiore ex parte sequitur effectus, ejusmodi autem causa est rerum obscenarum studium, auditio, tactus & aspectus. Probatur etiam minor proxima: si enim Cogitatio mala, & Commotio spirituum generationi destinatorum à natura essent voluntarij, causam ejusponentes peccarent, cui enim est eventus malus voluntarius, & liber, is peccat.

Dicendum ergo est dictum effectum malum non esse voluntarium, sed non aliunde nisi, quia non obligamur ex fine honesto vitare ejus causam per se efficacem, nempe studium, & auditionem rerum obscenarum, harumque aspectum, & tactum, prout assererat minor primi Sylogismi.

Confirmatur alijs exemplis, filius familias non tenetur paternam domum deserere, esto hæc sit illi occasio proxima peccandi Pal. 10. 1. D 2. de peccatis §. 3. num. 15. pramittens num. 10 posse te ex gravi causa adire meretrices ad eas convertendas etiam cum periculo labendi, estque hæc doctrina S. Th. 2. 2. q. 10. art. 9. docentis licitam esse Communicationem fidelium cum infidelibus prædicationis, & conversionis gratiâ, etsi adesset subversionis periculum, ita sentiunt Soarez 10. 4. in 3. p. de Pœnit. D 32 S. 2. Sanch. lib. 9. de matr. D. 45. n. 6. Unde sentiunt quod adire periculum proximum peccandi urgente gravi, & honestâ causâ non sit peccatum. Cit. Soarez. Sanch. lib. 1. Moral. c. 8. n. 3. Pont. lib. 5. de matr. c. 35. estque id Conforme decisioni

c. consultationi de frigidis: ubi conjugum, quorum matrimonium fuit irritum, permittitur cohabitatio, dum citra scandalum, seu gravem notam famæ separari nequeunt, etsi versentur in periculo proximo lapsus. Et tamen periculum proximum peccandi est causa per se efficax peccati, quia hoc ex illo majore ex parte sequitur, quin aditio, aut retentio periculi proximi in casibus allatis sit peccatum, nec ipse lapsus postea secutus imputatur ad Culpam, tempore, quo aditur periculum, seu quod perinde est aditio periculi, non est mala malitiâ lapsus secuturi prævisi. Ratio est, quod ex necessitate urgente adire, aut retinere proximum peccandi periculum non sit amare periculum, sed pati, quia scilicet nulla est obligatio vitandi tunc periculum. Id ipsum constat in Parochio experientiâ docto, quod soleat liberè se polluere ex confessionibus auditis, qui non tenetur deserere officium, si citra jacturam famæ non potest, cit. Pal. num. 13. secus tam Parochum quam Chyrurgum expertum consentire obligat desistere ab officio Platel. p. 2. n. 242.

Contra proximè dicta non pugnant propositiones Innocentianæ 62. & 63. quarum prior ita sonat: *proxima occasio peccandi non est fugienda quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit*: posterior sit: *licitum est querere directè occasionem proximam peccandi, pro bono spiritali, vel temporali nostro vel proximi*. Non inquam pugnant quia utraque propositio contenta est aliqua causa utili, aut honesta, vel bono spiritali aut temporali nostro, aut proximi sine aliâ distinctione, quod omninò scandalosum est, nisi enim sit

fit physica aut moralis impotentia vitandi, occasio peccandi censetur voluntaria, involuntaria autem est, sive fit physica, sive moralis impotentia vitandi, & ideo tunc sumpta materialiter seu secundum se potest adiri, aut retineri, quia secundum se non est peccatum, sed duntaxat proxima dispositio ad peccandum: formaliter tamen sumpta semper est vitanda, id est periculum illud peccandi, quod secundum se spectatum, & materialiter sumptum est proximum, certum, aut probabile, tenemur remedijs spiritualibus ex-

tenuare, seu reddere remotum ex proximo.

Quod urgens necessitas efficiat periculum proximum peccandi involuntarium docuit S. Basil. *in constitut. Monastic.* 6. 4. pag. 489. dicens: *qui urgente aliqua causa, & necessitate se periculo obijcit, vel permittit se esse in illo, cum tamen alijs nollet, non tam dicitur amare periculum, quam invitum illud subire, & ideo pro-*  
videbit DEUS, ne in illo pereat.



### §. II.

#### *An causa per se ex se inefficax effectus reddat causaliter voluntarium effectum.*

42. **D**ixi num. 39. causam per se inefficacem esse illam, quae ex natura sua est ordinata ad effectum, quin in hunc notabiliter influat, nec majore ex parte est conjuncta cum effectu.

Quaestionis sensus est, an volitio causa per se ex se inefficacis sit volitio indirecta effectus praevisi secuturi, sive an sit voluntarius in causa.

Certum est quod effectus sit non modo causaliter, sed etiam formaliter, ac in se voluntarius, si sit formaliter intentus à ponente talem causam, ita P. Marin *de Actib. Hum. D. 2. num 71.* probatur: illi est effectus formaliter, & in se voluntarius, qui illum procurat di-

rectè: seu apponit media ex intentione illum consequendi *per num. 14.* ubi statui etiam effectum in causa praevisum posse esse directè voluntarium, sed ponens causam per se ex se inefficacem effectus praevisi, hunc procurat directè, dum ponit media ex intentione illum consequendi: nam juxta omnium aetimationem afficitur tali effectui, illumque efficit mediante intentione, haec enim ex causâ per se ex se inefficace efficit, causam per se, ex se efficacem effectus, siquidem hic majore ex parte sequitur ex ejusmodi causa posita ex directâ intentione effectus: sic secundum omnes Deo sunt voluntaria opera nostra bona non modo causaliter, sed etiam formaliter danti auxilia, & cogitationes  
in-

inclinantes ad bonum opus ex Intentione boni operis.

Difficultas igitur questionis propositæ in eo consistit an ponens causam per se ex se inefficacem e.g. pollutionis, in qua sibi non complacet, neque eam directè intendit, sit causaliter seu in causa voluntaria: quando causa ex se non habet ullum effectum, quàm naturam irritare ad pollutionem.

Circa hanc difficultatem tres discurrendi modos inducit citatus Marin *n. 68.* Primus est Vasquez *1. 2. Diss. 115. c. 2. n. 9.* pollutionem seclusâ in ea complacentiâ, ac intentione esse duntaxat malam, quando sequitur modo indebito, quod fit tunc, quando ponitur causa de se carens omni effectû, præter irritare naturam ad pollutionem, ponitur, inquam, quia de accidente in somno sibi complacere, aut eam desiderare ex fine bono, nullam esse culpam, dummodo desiderium eam non causet, putat Vasquez.

Secundus est Oviedo *1. 2. Contr. 1. num. 67.* pollutionem non Intentam prævisam in causa ex natura sua primariò non ordinata ad Irritationem naturæ, seu ad pollutionem non esse prohibitam, seu malam. Ad hoc melius Intelligendum adverte; pollutionem dupliciter spectari posse: primò, ut est actus potentia generativæ, quod accidit, dum virtute potentia imaginativæ habentis objectum delectabile venereum excitantur Spiritus ad generationem naturâ suâ ordinati, appetitus sensitivus illud appetit, pollutio sequens inde extra matrimonium efficaciter volita est intrinsicè mortaliter peccaminosa utpote ordinata ad copulam. Secundò potest spectari prout est actus solius virtutis

R. P. Karch, Dissert.

expulsivæ virtutis seminalis eo modo, quo sudor expellitur: Ita Sanch. *l. 9. de matr. D. 45. n. 14.* cujus verba dabo *n. 78.* secundo modo non ordinetur ad copulam eamque desiderare ex honesto fine, caret Culpâ mortali, nisi desiderium eam causaret.

Nunc sic dicas, homicidium prævisum in ebrietate est causaliter voluntarium, etsi non sit principaliter ordinata ad illud, ergo etiam pollutio prævisa in causa principaliter non ordinata ad illam est causaliter voluntaria.

Respondeo esse disparitatem, quòd homicidium retineat suam objectivam malitiam semper, proinde etiam in ebrietate, & idcirco se inebrianti cum prævisione secuturi, non potest non esse imputabile, & voluntarium causaliter: è contra pollutio prout per accidens in somno, aut in ebrietate, & prout est actus virtutis expulsivæ, sicut expellitur sudor, non retinet suam turpitudinem materialem, seu objectivam.

Ex eodem capite Hæresis, blasphemia, maledictio, contumelia, detractio, perjurium prævisa in ebrietate non sunt causaliter voluntaria secundùm Sanch. *lib. 1. moral. c. 8. nu. 24.* Vasq. *1. 2. D. 127. cap. 3.* (quos sequitur Marin. *num 68.*) & carent culpâ, quia non retinent suam malitiam objectivam, hæresis enim in esse talis (idem dic de alijs) constituitur, quòd fiat cum usu rationis.

Tertius modus est Sanch. *lib. 9. de matr. D. 45. n. 9.* negantis verbum veniale influere in pollutionem; est etiam communis sententia cum S. Th. *2. 2. q. 154. a. 5.* quod malitia pollutionis non

E

in-

intentæ sit pensanda ex culpa causæ, de his plura infra.

44. Resp. ad difficultatem ponenti causam per se ex se inefficacè pollutionis sine ratione excusante à culpa positionem causæ, sive ea causa sit talis, quæ de se solùm habeat irritare naturam ad pollutionem, sive principaliter non sit ordinata ad hanc, sive sit verbum veniale, pollutio prævisa est voluntaria, & imputabilis ad solam culpam venialem, è contra si non sit obligatio vitandi causam per se inefficacem pollutionis, uti est levis tactus manûs aut amplexus in signum honestæ amicitia, &c. pollutio prævisa non est Imputabilis secluso periculo consensûs etiam ad culpam levem, ita Marin *num. 69 & 70.* Ratio partis prioris est, quod cum pollutio non sit directè intentæ, nec ea in se terminet complacentiam, non possit continere culpam graviolem, quam sit culpa causæ, cum sit solùm voluntaria voluntaritate indirectâ, seu in causa, sed dum est obligatio vitandi positionem causæ per se inefficaciter influentis in pollutionem,

positio causæ nequit continere culpam nisi venialem, ergo etiam pollutio prævisa continet solùm culpam venialem.

Ratio posterioris partis sequitur ex *num. 41.* ubi nulla est obligatio vitandi causam per se efficacem pollutionis prævisæ non intentæ, ibi nullatenus est pollutio secutura imputabilis causam ponenti. Ergò multò minùs imputari potest ad culpam etiam levè ponenti causam per se inefficacem, quando non est obligatio impediendi causam per se inefficacem, seu remotam pollutionis.

Responsio hæc procedit de quavis causa per se inefficaci, seu remota cujusvis alterius effectûs prævisi, hic enim censetur solùm procurari leviter in causa tali, dum est obligatio non ponendi causam, seclusâ verò obligatione non ponendi, nec leviter censetur procurari eventus malus non intentus. Hæc extensio probatur iisdem rationibus, quibus probata est proxima resolutio ad difficultatem,

\* \*

\*



## §. III.

*Objectionum Solutio contra Conclusionem positam numero 41, eaque novis Instantijs roboratur.*

45. **O**bjicies 1. Causa causæ est causa causati per causam juxta receptum axioma, quod si aliquando est verum, debet verificari in causa causæ per se efficaci, cum enim hæc communiter sit connexa cum eventu malo per *num. 38.*

causans ejusmodi causam causat in æstimatione morali hominum connexionem cum eventu malo, sed si sic, in æstimatione morali est illi voluntaria, & imputabilis connexio cum eventu, atquè adeo etiam eventus malus.

Re-

Respondeo ad argumentum apparenter difficile. Primò retorquendo argumentum, ab instantijs productis num. 41. in quibus causa causæ per se efficacia non est causa causati, aliàs ex fine honesto studens obsecans, horum audiens confessiones, Chyrurgus tangens, & inspiciens partes verendas est moraliter causa commotionis spirituum, & secururæ inde pollutionis.

Respondeo 2. Distinguendo majorem causa causæ est causa purè physica causati per causam transeat major: est causa moralis, seu volitiva, subdistinguo, si ponit causam causati cum obligatione vitandi illam, aut cum intentione, vel complacentia causati concedo majorem, si ponit sine intentione, aut sine complacentia causati, vel sine obligatione vitandi causam nego maj. Distinguo similiter minorem: sed si sic, in estimatione moralis est illi voluntaria connexio cum eventu malo, ipsèq; eventus malus, nempe si causa causæ sit purè physica causati per causam nego minorem, si sit causa moralis causati per causam ut dictum est ad majorem concedo minorem. Ratio distinctionis est, quod ut causa causæ dicatur causa physica causati per causam, plus non requiritur, quàm quod medio influxu physico concurrat ad effectum causatam: hoc non sufficit ad causam moralem, sed debet adesse obligatio vitandi causam causati, aut debet poni causa causati ex hujus intentione, vel complacentia, est ergo in casu nostro causa causæ duntaxat causa permissiva secus volitiva causati. Distinctionem hanc ostendunt exempla in confirmatione n. 41, allegatâ,

Ulteriusquè eam firmo: DEUS est causa vitæ longæ humanæ abundantis divitijs, honoribusque, ejusmodi vita est causa per se alicujus peccati venialis, cum sit moralis necessitas committendi aliquid veniale à diu vivente: & tamen DEUS non est causa volitiva, & moralis peccati, sed solum permissiva, idem patet in multis simultaneè existentibus hominibus, quibus inest moralis necessitas intra horam, ut aliquis peccet venialiter, quin DEO Imputetur peccatum, etsi sit causa hominum, quia hos non ponit cum obligatione eosdem non ponendi, aut ex intentione secururi peccati.

46. Si dicas Sequi ex distinctione data, quod etsi DEUS causando libertatem nostram, & naturam inclinantem in peccatum non sit causa moralis, & volitiva peccati, sed permissiva, quia non causat libertatem, & naturam, nec auxilium inefficax, ex intentione peccati, aut ex complacentiâ in peccato, aut cum obligatione vitandi libertatem, auxilium inefficax & peccatum, est tamen causa physica per se causati peccati per causam, nempe per libertatem medio influxu physico.

Respondeo cum Joann. Marin. de Actib. Hum. D. 2. nu. 16 transeat totum de causâ purè physica mediata, secus de causâ per se physica Immediata concursu distincto ab illo quo immediatè producit libertatem concursu physico, & hoc mediante præter imò contra intentionem DEUS sequitur peccatum.

Dixi transeat, quia negari potest quod Deus physica causâ nostræ libertatis, sit causa per se mediata physica causati, peccati per libertatem, quia ad causam per se etiam medi-

mediatam physicam videtur requiri, ut mediate intendat id, quod causatur à causa immediata, causa immediata peccati est libertas voluntatis nostræ, per quam nec mediatè intendit peccatum DEUS. Et ergo DEUS causa physica per accidens causati peccati per libertatem, quam immediatè physicè causat.

47. Obijcies 2. Voluntarium est, quod procedit à principio intrinseco, nempe à voluntate cum cognitione finis per *num. 3* sed effectus malus prævisus in causa per se efficaci procedit à voluntate cum cognitione finis, ergo effectus malus prævisus in causa per se efficaci est voluntarius. Minor probatur: effectus accipiens existentiam à voluntate cum cognitione finis, procedit à voluntate cum cognitione finis, sed effectus malus prævisus in causa per se efficaci accipit existentiam à voluntate cum cognitione finis, ergo effectus malus prævisus in causa per se efficaci procedit à voluntate cum cognitione finis. Minor probatur, illud accipit existentiam à voluntate cum cognitione finis, quod existit à voluntate, quia ipsa vult, sed effectus malus prævisus in causa per se efficaci existit à voluntate, quia ipsa vult, si enim nollet, aut non vellet existentiam effectus mali, non existeret effectus malus, ergo effectus prævisus in causa per se efficaci accipit existentiam à voluntate cum cognitione finis, consequenter est voluntarius.

Respondeo majorem esse veram de effectu positivè procedente à voluntate cum finis cognitione, secùs de effectu permisivè procedente à voluntate: distinguo eodem modo minorem, effectus malus prævisus in causa per se efficaci proce-

dit à voluntate positivè nego minorem, procedit permisivè transeat minor. Distinguo etiam consequens, effectus malus prævisus in causa per se efficaci est positivè voluntarius nego consequentiam, est permisivè voluntarius transeat consequentia, quam viri doctissimi concedunt apud Marin cit. *num. 16*. Dixi *transeat*, quia ut observat *num. 17*. videtur esse implicans in terminis istis, effectus malus *procedit permisivè à voluntate cum cognitione finis*, quia quod præcisè permittitur à voluntate, non procedit à voluntate cum cognitione, ad voluntarium autè requiritur, ut procedat à voluntate cum cognitione, igitur effectus malus prævisus non est voluntarius ullatenus, sed permisivus.

Ad probationem minoris Distinguo majorem effectus accipiens positivè existentiam à voluntate, &c. procedit à voluntate &c. Concedo majorem, accipiens solùm permisivè existentiam à voluntate procedit à voluntate Nego majorem, vel juxta proximè dicta transmitti potest de processione permisivà, secùs positivà. Sub eadem distinctione Respondetur ad minorem effectus malus prævisus &c. positivè accipit existentiam à voluntate N. minorem; accipit permisivè, concedo minorem, & nego consequentiam. Aut potest consequentia transmitti de processione permisivà, secùs positivà. Ad probationem hujus minoris Distinguo majorem. Id accipit positivè existentiam à voluntate-&c. quod positivè existit à voluntate Concedo majorem, id accipit positivè existentiam à voluntate, quod permisivè existit à voluntate nego majorem, ad probationem hujus distinguo, ipsam vult positivè existentiam effectus ne-

go,

go, vult permissivè concedo. Ad minorem dico, effectus malus prævisus in causa per se efficaci existit positivè à voluntate nego minorem, existit permissivè concedo minorem. Ad hujus probationem si nollet tam positivè, quàm permissivè effectum, hic non existeret concedo, si nollet solùm positivè, permetteret tamen effectum hic non existeret Nego. Distinguo ultimum consequens, effectus malus prævisus in causâ per se efficaci positivè accipit existentiam à voluntate nego consequentiam, permissivè accipit existentiam à voluntate concedo consequentiam, & ideo nego esse voluntarium.

48. Obijcies 3. Procuratus à voluntate effectus est voluntarius, sed à ponente per se causam efficacem effectus est procuratus, ergo effectus causa per se efficax hanc ponenti est voluntarius, minor probatur: à ponente causam per se efficacem sub obligatione hanc vitandi est procuratus effectus, ergo etiam à ponente causam per se efficacem effectus est procuratus effectus, etsi non ponat causam sub obligatione hanc vitandi consequentia probatur, ideo à ponente causam per se efficacem sub obligatione hanc vitandi est procuratus effectus, quia ponere causam causantem per se effectum est procurare effectum, ergo etiam à ponente causam per se efficacem sine obligatione hanc vitandi est procuratus, quia etiam iste ponit per se causam causantem per se effectum.

Respondeo concessâ majori Nego minorem: ut consequentiam. Ad probationem minoris nego consequentiam, ad hujus probationem, Respondeo dupliciter. 1. Negando causalem antecedentis, aliâs in exemplis nostrâ conclu-

sionis, & confirmationis ponentes causam per se efficacem pollutionis, hanc procurarent, uti & lapsum filiusfamilias remanēs in domo paterna, concionator adiens meretrices ex fine convertendi, &c.

2. Distinguo causalem ponere causam per se efficacem sub obligatione vitandi causam est procurare effectum (idem est si ponatur ex Intentione, vel complacentia effectus) concedo, seclûâ obligatione, vel intentione aut complacentia effectus, ponere per se causam efficacem est procurare effectum nego causalem, & consequentiam. Ad hujus probationem dico etiam iste ponit causam per se causantem effectum sub obligatione vitandi causam, aut ex complacentia, vel intentione effectus nego, ponit causam per se causantem effectum sine dictâ obligatione, concedo.

Illud potest transmitti, quod ponens causam per se efficacem effectus de se, & ex suis terminis procuret effectum in actu primo remoto, ponit enim mediû de se aptum, ut ex circumstantijs verificetur aut non verificetur, quod ponens causam per se efficacem effectus procuret effectum in actu primo proximo, & actu secundo; si ponit ex Intentione, aut complacentia, aut sub obligatione vitandi causam procurat effectum in actu primo proximo, imò in actu etiam secundo, secus seclûs dictis tribus circumstantijs, ut evincit conclusio *nu. 41.* cum suis exemplis, & alijs sub finem *nu. 45.* productis.

Dixi potest transmitti, quia seclûs iisdem circumstantijs nec in actu primo remoto dicendus est procurare effectum ponens ejusmodi causam ut liquet in DEO, qui causando libertatem no-

stram cum auxilio inefficaci, etsi ponat causam per se efficacem peccati, dici non debet procurare in actu primo remoto peccatum. Idem dic in exemplis sub finem *nn. 45.* adjectis.

49. Obijcies 4. Applicanti ignem tecto domus est voluntaria combustio domus, quia ponit causam per se causativam combustionis: estque ratio à priori, quod causa per se efficax effectus ex natura sibi intrinseca, atque indispensabili habeat vim indispensabilem intentivam, & procurativam effectus, quam vim obligatio vitandi, aut complacentia, aut Intentio effectus non auget, nec absentia horum omnium minuit, ergo si ponenti sub unâ circumstantia ex tribus est voluntarius causaliter, seu virtualiter effectus, est etiam voluntarius, & intentus virtualiter, si quis ponat causam sine omni circumstantia ex dictis tribus.

Respondeo concesso assumpto: Distinguo ejus causalem, quia ponit causam per se causativam combustionis sub obligatione vitandi illam concedo, & insuper intendit combustionem ac in ea sibi complacet: quia ponit sine obligatione vitandi illam, aut sine intentione, & complacentia: Ad rationem à priori distinguo habet vim physicè intentivam, & procurativam effectus concedo, habet vim moraliter intentivam, & procurativam effectus, id est, ponens talem causam, cui inest vis indispensabilis, moraliter intendit, & procurat effectum, seu illi, ut causæ morali attribuitur effectus nego. Concedo, quod obligatio vitandi, nec intentio aut complacentia augeat vim indispensabilem physicè intentivam effectus, efficit tamen, ut ei velut causæ

Intellectuali morali tribuatur effectus, hincque sit voluntarius, ac causaliter, seu virtualiter volitus à ponente causam ejus.

50. Obijcies 5. *Qui vult antecedens connexum cum alio vult aliud.* Juxta principium Scholæ Societatis contra Thomistas, ex hoc enim principio DD. Societatis deducunt, quod si DEUS physicè prædeterminet voluntatem ad materiale peccati etiam prædeterminet ad formale, quia materiale peccati est connexum cum malitia formali, sed causa per se efficax eventus mali est connexa cum eventu malo, ergo volens causam per se connexam cum eventu malo vult eventum malum, vel si hæc consequentia non valet, etiam Thomista jure negare poterunt, quod DEUS prædeterminando ad materiale peccati, prædeterminet ad formale.

Respondeo 1. Nego majorem universaliter, & absolute loquentem, ut patet ex obvijs in Theologia instantijs. DEUS enim volendo Christum ut redemptorem ante prævisum absolute peccatum vult antecedens connexum cum peccato, quin velit ipsum peccatum: Idem vult libertatem creatam cum auxilio inefficaci connexam cum peccato sine volitione peccati: Chyrurgus volens inspectionem, & tactum partium Secretarum femina vult antecedens per se connexum cum motione spirituum seminalium, pariter per se connexa cum pollutione, nemo tamen dicit, quod volitio ejusmodi antecedentis sit virtualis volitio commotionis spirituum, ac pollutionis.

Resp. 2. Distinguo majorem volens antecedens connexum cum alio tale, ad cujus positionem sine novo exercitio libero sequitur aliud, vult moraliter, & im-

imputabiliter aliud concedo, quando posito antecedente opus est novo libero exercitio, ut sequatur aliud, ponens antecedens connexum vult aliud nego majorem: in casu nostrae assertionis *num. 41.* posita causa per se efficaci, & connexa cum eventu malo, opus est novâ libertate, ut sequatur eventus malus, è contra in physica prædeterminatione voluntatis creatæ ad materiale peccati sine exercitio novo libertatis sequitur formale peccati. Est ergo major vera in casibus sequentibus, Primò si ponitur antecedens connexum sub obligatione vitandi tum aliud, seu effectum, tum antecedens, seu causam: vel Secundò si ponitur antecedens connexum ex complacentiâ; vel Tertio, si ponitur antecedens connexum ex intentione aliûs, tunc enim intentio effectûs subjectivè determinat ad ponenda media; vel Quarto, si ponitur antecedens conjiciens in proximum periculum peccandi, quando est obligatio istud vitandi.

§ 1. Concludo hunc §. & falsitatem majoris (quam plures pro principio sine

distinctione assumunt) declaro duabus alijs instantijs: constitutus in alto ædificio, ex quo non patet evasio igne grassante licitè se ex sublimi demittit cum certo mortis periculo *Less. lib. 2. de Just. cap. 9. num. 34. & lib. 3. num. 37. Mol. tr. 1. D. 119. Lug. de Fur. D. 10. num. 123.* concedit licitè quati e. g. turrim, in qua innocentes cum nocentibus sunt perituri, ut urbs expugnetur. Adde concedi etiam in bello navali fas esse navim succendere, ne ea cum hominibus, pulvere, & annona veniat in hostium manus sic teste M. Acatio de Valesco *to. 2. Resolutionum Moral. Verbo Homicidium Resolut. 37.* mandavit Ducibus Galleonum Philippus IV. ut eos succenderent: in his casibus antecedens est per se connexum cum morte Innocentium, quæ tamen non est plus, quàm permissivè voluntaria. Vide plura apud *Dian. p. 5 tr. 4. Resolut. 42. & p. 6. tr. 7. Resol. 48.*

\* \*

§. IV.

*An sit voluntarius effectus malus Prævisus in causâ per accidens?*

§ 2. **N**omine causæ per accidens intelligitur illa, quæ est ex se indifferens ad eventum. Quaritur an eventus in ea prævisus malus sit voluntarius ponenti causam; malus, inquam, nam si

est bonus frequentes esse voluntarium probatur, quia ponens causam cum prævisione effectûs boni complacet sibi in eo & intendit, sed hoc ipso est voluntarius, ergo, major patet ex æstimatione omnium qui

qui prudenter credunt velle eum effectum bonum prævisum.

Ad quæstionem affirmant plures, etsi non sit obligatio vitandi causam ita Amic. hic *D. 3. n. 48. 56. & 59.* negat tamen secluso præcepto effectum esse moraliter imputabilem, quia inquit Amicus cit. *num. 59.* præceptum supponit voluntarium. e. g. omissionem, ad quam sequitur eventus, nam independentem à præcepto voluntas est libera libertate contradictionis ad agendum, & non agendum, ergo in actu secundo voluntariè vel agit, vel non agit secluso omni debito, seu præcepto: Verùm quia nulla culpa potest esse secluso præcepto in eo, qui omittit, aut ponit actionem, ex quâ per accidens sequeretur effectus, sequitur hunc non posse moraliter imputari.

Secunda sententia negat posse esse voluntarium eventum malum, sive positivum, sive negativum prævisum in causa per accidens, seu indifferente ad illum, nisi adsit præceptum obligans ad causam non ponendam, ex fine vitandi eventum malum ita *Soarez 1. 2. tr. 2. D. 11. f. 5. Vasq. 1. 2. D. 24. cap. 3.* quo ad effectum ex omissione secutum, hanc verò putat esse voluntarium e. g. omissionem gubernationis navis etiam non obligatis ad eam gubernandam.

53. Hæc sententia est probabilior, & à fortiori procedit ex *num. 41.* si enim ponenti causam per se efficacem eventus non est voluntarius, minus erit voluntarius ponenti causam indifferentem, estque hæc mens *S. Th. 1. 2. q. 6. art. 3. in corpore. Non semper id, quod sequitur ad defectum actionis reducitur sicut in causam in agens ex eo,*

*quod non agit, sed solum tunc, cum potest, & debet agere:* exemplificatque in gubernatore navis, cui submerisionem non imputat, si negligat gubernare, dum non tenetur.

Id ipsum patet primo in DEO, cui non sunt voluntaria peccata, quæ prævidet isecutura contra præceptum suum. Secundò femina die festo procedenti ad templum non est voluntarius prævisus in Juvene consensus. Tertiò arcente aquam à fundo suo non imputatur inundatio fundi proximi. Quartò Domino, qui non aufert famulo occasionem furandi, ut experiatur fidelitatem ejus, non imputatur furtum, etsi prævideatur probabiliter futurum, uti multorum fert opinio, imò licitè offert illi occasionem, ut furetur, ex fine deprehendendi eum in furto, *Navarrus, Sanch. lib. 10. de matr. D. 12. num. 53.* extendens ad maritum offerentem uxori occasionem ut adulteretur. Quintò *Less. lib. 2. de Just. c. 2. dub. 4. num. 3.* liberat à culpa tabernarios, qui ministrant cibos jejuniis soluturis, quando alibi cœnarent, si hic illis cœna negaretur, quia in tali circumstantia causa unica negandi cibos est, ut vitetur peccatum, sed etsi negarent, non vitarent, cum supponantur alibi cœnaturi. Ex hoc capite *Viva ad Propos. 51 Innocentij num. 6.* concedit, quod nauta Catholicus licitè vehant, ne lucrum amittant, annonam ad Castra hæreticorum, siquidem aliàs veheretur ab alijs, cujus sententiæ: est ferè *Sanch. lib. 1. mor. cap. 2. num. 16.* agnoscens solum veniale si nulla alia causa excuset: & *c. 7. num. 20.* excusat sine alia causa locantem domum meretrici non alienigenæ, nisi situs loci

magis alliceret ad peccandum, tunc enim majorem poscit causam, qualem putat, si alijs commodè non esset elocabilis.

§ 4. Probatur conclusio ratione, ut enim ponenti causam imputeretur effectus, debet reduci in illum, velut in causam physicè, vel moraliter influentem, sed in eum, qui ponit causam per accidens, nequit reduci in illum ut physicè, nec ut moraliter influentem: non physicè, quia præter omnem intentionem ejus sequitur effectus, cum nullus sit nexus inter causam per accidens cum effectu: clariùsque patet, si est causa negativa e. g. omissio gubernationis, hæc enim, cum nullum habet esse, non potest influere physicè in submerisionem.

Quòd etiam nequeat moraliter influere secluso debito, seu obligatione non ponendi causam per accidens, ostendo: secluso præcepto gubernandi navim, ne submergatur, inter omissionem gubernationis, & submerisionem navis, nullus est moralis nexus, est vero stante præcepto, tum enim non submerisio navis moraliter exigit dependere ab omittente per actionem oppositam omissioni, nempe per actionem navis gubernativam, ergo submerisio est moralis effectus per se pendens ab omissione gubernationis, sicut quia auditio missæ per se exigit pendere à voluntate audiendi missam, non auditio est effectus moralis per se pendens ab omittente voluntatem audiendi missam.

Dices quod retrahit à submerisione, nequit ullam causalitatem exercere in illam sed prohibitio omittendi gubernationem navis retrahit à submerisione objectivè, motivè, ergo.

*R. P. Karch. Diss.*

Respondeo Distinguo majorem, nequit ullam causalitatem exercere, neque esse conditio necessaria ut submerisio sit ad culpam imputabilis nego majorem, nequit exercere, est tamen conditio necessaria concedo majorem, & minorem. Distinguo consequens uti majorem. Solutionis instantia est in omni cognitione indifferente requisita ad libertatem contrarietatis, quæ allicit ad unum extremum, & retrahit ab altero, attamen ut retrahens ab altero est necessaria conditio, ut actus sit liber libertate contrarietatis, ergo etiam præceptum est conditio necessaria, ut eventus secutus ex causa per accidens imputeretur hanc ponenti.

Confirmatur probatio, quod præceptum charitatis omnes, præceptum verò etiam Justitiæ navelerum solum, seu mercenarium obligans ad impediendam submerisionem efficiat, ut omissio gubernationis, quæ secluso præcepto esset causa per accidens, evadat causa per se submerisionis, sicut obligatio Justitiæ, depositarium, Commodatarium, gubernatorem urbis, custodem Sylvæ adstringit impedire damna, eaque refarcire si ex eorum negligentia culpabili sequantur, quia stante præcepto Justitiæ, negligentia, quæ secluso præcepto foret causa per accidens damnorum, evadit causa per se moralis eorundem.

§ 5. Hinc sequitur quod secluso præcepto omissio gubernationis sit accidentaliter solum connexa cum submerisione navis, quæ connexio nullatenus influit in submerisionem, sed duntaxat non impedit, sed permittit, & ideo est causa per accidens, respectu submerisionis, proinde non est hujus vera causa, nam ad

F

cau-

causæ veritatem requiritur per se influxus in effectum, atque adeo libertas, quæ est liberâ omisso gubernationis, nullam derivat libertatem in submersionem, stante verò prohibitione omissionis, cum hæc sit moraliter imputabilis omittenti in æstimatione morali, perinde se habet respectu submersionis, ac si positivè concurreret ad submersionem, idcirco libertas omissionis, moralem libertatem ac influxum derivet in submersionem.

Exemplum sequelæ præcedentis quoad ejus priorem partem est in DEO omittente impedire peccata prævisa, quæ ex omissione sequentur, qui non censetur velle interpretativè, ac æquivalenter peccata, sed solùm permittere, quia ab ejus voluntate tanquam à causâ immediata, aut mediata non dependent: nec in ejus potestate propriè est peccatorum existentia, esto in ejus potestate sit impedire eorundem existentiam, ità secluso præcepto existentia submersionis non est propriè in potestate omittentis gubernationem, licet in ejusdem potestate sit impeditio submersionis.

Respondebis cum Arriag. *hic D 4. S. 5.* non esse bonum exemplum à DEO: hic enim ut author naturæ obligatur dare concursum indifferentem creaturæ, consulitque, & optat nè sint peccata: & propterea quod non conferat auxilium efficax impediens nostra peccata, hæc illi non sunt voluntaria.

Contra est, quod DEO nostra peccata non forent voluntaria, etsi non teneretur dare concursum indifferentem: sic fœmina die non festo non tenetur tendere in Ecclesiam, & tamen Juvenis consensus prævisus in tali tendenti non est illi

voluntarius, ergo ex eo quòd DEUS teneretur dare indifferentem concursum, non ideo fit nostra peccata ille non esse voluntaria, si effectus secutus est voluntarius potenti impedire, & non impediri, DEUS autem potest impedire peccata nostra, etsi non det concursum indifferentem ad peccata situm in auxilio inefficaci, quia potest dare concursum indifferentem situm in auxilio efficaci quo vitentur peccata nostra,

Quod DEUS optet, & consulat, ne sint peccata, per hoc non rectè deducitur peccata nostra adhuc illi non esse voluntaria, si, ut effectus sit voluntarius sufficit potentia eum impediendi, & non impeditur, ergo DEUS non rectè liberatur à voluntaritate nostrorum peccatorum, quod optet, ne sint: sed ut liberetur, recurrendum est ad generalem regulam quæ assèrit: ponenti causam per accidens non est voluntarius effectus prævisus, si non sit obligatio impediendi effectum.

Desiderium ergo DEI, & consilium non efficit, nè peccata nostra sint DEO simpliciter voluntaria, si ablato utroque essent voluntaria, sed solum sequitur per desiderium, & consilium fore secundum quid involuntaria, ut patet in superiore, cui magis sunt voluntarij defectus subditorum, quàm involuntarij, si potest eos impedire, & non impedit, etsi consulat, optetque, nè sint defectus, quia desiderium, & consilium efficit solum quod secundum quid sint involuntarij, simpliciter autem voluntarij: sicut etsi mercator in periculo naufragij renitatur projicere merces in mare, non impedit, quo minus projectio sit simpliciter illi voluntaria mixto tamen involuntario secundum quid.

§. V.



§. V.

Proponuntur argumenta pro sententia affirmativa contra nostram negativam in §. superiore propugnatam, & solvuntur.

56. **O**bjicies 1. Quando submersio navis est libera Petro, est eidem etiam voluntaria, sed submersio navis etiam secluso præcepto illam impediendi est libera Petro, ergo etiam secluso præcepto est illi voluntaria. Minor probatur, quando submersio existit cum potestate Petri, ut existat, & non existat est libera Petro, sed submersio navis existit cum potestate Petri, ut existat, & non existat; supponitur &c. supponitur enim quod possit eam impedire; proinde est in ejus libertate, ut non existat submersio, atque adeo est etiam in ejusdem potestate, ut existat, cum libertas sit potestas ad opposita, ergo submersio navis etiam secluso præcepto illam impediendi est libera Petro. Confirmatur submersio navis non existit necessario relatè ad petrum, quia potest illam impedire, sed si non existit necessario relatè ad Petrum, huic est libera.

Respondeo Distinguendo majorem, quando est libera Petro permittivè, est eidem etiam voluntaria nego majorem, quando est Petro positivè libera, est etiam voluntaria concedo majorem: Distinguo minorem secluso præcepto est permittivè libera petro concedo minorem, est positivè libera nego minorem, & conse-

quentiam. Positivum liberum est voluntarium, secùs permittivum ut patet in instantijs allatis *num 53.* Ad probationem concessâ majori nego minorem, quoad primam partem. Ad probationem concedo quòd possit impedire existentiam submersionis, proinde, quòd sit in illius libertate non immediata, sed mediata, ut non existat submersio, sola autem libertas immediata secùs mediata est ad opposita. De immediata testatur Philosophus 3. *Eth. 5. quibus enim inquit in rebus in nostra potestate situm est agere, in his situm & non agere, & è contra: estque ratio, nam qui liberè amat, amat cum potestate non amandi, sed potestas non amandi est potestas omitendi, ergo qui liberè amat potest non amare, seu omittere amorem.* De mediata patet in creata voluntate potente impedire divinam prædefinitionem consensûs, quia potest ponere antecedens inferens carentiam prædefinitionis, nempe dissensum, quin possit determinare ad prædefinitionem, eò quod nequeat ponere antecedens inferens prædefinitionem, ubi immediata libertas ad dissensum, est mediata libertas ad præpediendam prædefinitionem, sine libertate ad oppositum prædefinitioni, sed est immediata libertas ad

consensum, qui non est antecedens inferens prædefinitionem.

Ad Confirmationem concessa majori cum sua probatione distinguo minorem, Petro est libera libertate positivâ nego minorem, libertate permissivâ concedo minorem.

§ 7. Obijcies 2. Non minus conducit ad navis submersionem omissio gubernationis, quàm ejus positiva directio ad scopulum, sed dirigenti eam ad scopulum est voluntaria submersio, ergo etiam est voluntaria omittenti gubernationem. Major probatur, non minus omissio gubernationis connectitur cum submersione, quàm positiva directio navis ad Scopulum, sed positivè dirigenti ob nexum cum submersione hæc est voluntaria dirigenti, ergo etiam est voluntaria omittenti.

Respondeo distinguo majorem non minus conducit, per accidens omissio gubernationis ad submersionem, quam positiva directio concedo majorem, conducit per se nego majorem, & concessâ minori nego consequentiam. Ad probationem majoris non minus omissio gubernationis connectitur per accidens cum submersione, quàm positiva directio concedo majorem, non minus connectitur per se nego majorem. Distinguo minorem positivè dirigenti ob nexum per se cum submersione est voluntaria submersio dirigenti concedo minorem, ob nexum per accidens nego minorem, & consequentiam, quia etsi omitat gubernare Petrus, potest gubernare navim Paulus nè submergatur, quo casu omissio gubernationis in Petro non connectitur cum submersione, ergo nec connectitur, nisi per accidens, etsi nullus alius gubernet.

Instabis: gubernatio navis est verè, & propriè impeditio submersionis, ergo omissio gubernationis est verè, & propriè non impeditio submersionis, sed non impeditio submersionis est hujus positio, ergo omissio gubernationis est positio submersionis.

Respondeo transmissio antecedente, & consequentia distinguo minorem subsumptam, non impeditio submersionis sumpta pro ipsâ actione submergendi est submersionis positio concedo minorem non impeditio sumpta pro omissione actionis gubernativæ est submersionis positio nego minorem, & consequentiam.

§ 8. Obijcies 3. Cum Arriaga frigen, & nolens accedere ad ignem friget voluntariè, licet non obligetur impedire frigus, sed non alia de causa, nisi quòd potens impedire frigus per accessum non impedit, ergo etiam potens impedire submersionem navis, & non impediens voluntariè moraliter, seu in aestimatione hominum submergit navim secluso præcepto impediendi.

Respondeo concessâ majori nego minorem ex *num. 52.* sed ideò, quia patitur frigus, cum non sit malum, sed licitum, creditur apud omnes voluntariè id sustinere; quod sufficit, ut hic effectus sit patienti causaliter voluntarius.

Morbus est voluntarius ægrotanti nolenti sumere pharmacum ex eodem capite, ut si non sit lethalis, ægrotansque sit persona amans mortificationis: unde cum Carthusiani amore mortificationis, & conservandæ consuetudinis Religionis suæ licitè abstineant ab esu carnis, esto medicus judicet aliquem moriturum, nisi carnes comedat, dummodo alij cibi habeant.

beanur, est illi voluntaria mors, etsi nullum præceptum sit secundum probabilem sententiam eos adstringens ad manducandum etiam in mortis periculo, prævalet enim amor perfectionis Religiosæ conservationi propriæ vitæ. Si dicas esse voluntariam incarcerationem omittenti frangere vincula, si potest ut evadat liber, etsi non teneatur frangere, ut patet in Martyribus.

Respondeo his fuisse voluntariam, quia præsumuntur eam luisse, per *num. 52*, supponitur enim esse licita ex parte Martyrum: Si autem supponas esse iisdem illicitam, nego quod fuerit voluntaria, ex eo præcisè, quod vincula non ruperint, aut ex carcere, si potuerint, non fugerint ut conclusio posita *num. 53* habet.

59. Objicies 4. Applicanti causam per se ad effectum est voluntarius effectus, sed ponens causam per accidens applicat causam per se ad effectum, quia si non poneretur causa per accidens, causa per se non erumperet in effectum.

Confirmatur primò ponens causam per accidens ponit rem in eo statu, in quo causa per se producat effectum, sed si sic, est illi effectus voluntarius.


Confirmatur secundò. Positio causa per accidens, est ultima dispositio, aut determinatio, quæ causa per se hic & nunc eget ad operandum, sed hoc est realiter causare effectum.

Respondeo concessã majori nego minorem, quam non evincit ejus probatio, etsi enim causa per se non causeret effectum, non existente causa per accidens, hujus tamen dispositio non est per se, sed per accidens applicatio causa per se, sicut arcens aquam à suo prædio, non applicat aquam ut inundet prædium aliorum. Item declinans ictum inclinatione capitis non applicat causam ictus, ut percutiatur à tergo existens.

Ad confirmationem primam nego majorem: ~~ponens~~ ponens causam per accidens solum permittit statum, in quo operatur causa per se effectum, uti patet ex instantijs conclusionis nostræ *num. 53*.

Ad confirmationem secundam nego majorem, quia ultima dispositio dicit per se ordinem, quem non dicit causa per accidens.

\* \*  
\*



## §. VI.

*An Intentio effectus prævisi in causa per accidens reddat effectum voluntarium causaliter?*

60. **E**sse volitum, cum sit intentus, fit voluntarius in causa per accidens ex tali intentione posita, negat Vasq. 1. 2. D. 24

F 3

G. 4.

c. 4. Lessi. de Just. lib. 2. c. 9. dub. 16. conclus. 3. communis cum Lug. de Just. D. 11. sec. 4. affirmat. Respondeo affirmativè cum S. Th. q. 2. de malo. art. 1. probatur, *voluntas causat per se, quando per intentionem agit ad talem effectum*, ut qui fodit terram, ut inveniatur thesaurum. cit. S. Th. sed voluntas in nostro casu agit per intentionem ponendo causam per accidens, ergo causat per se effectum, sed causare per se effectum, est esse effectum voluntarium: voluntas enim directè coöperatur, unde S. Th. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 4. docet directè cooperari cum ad idololatriam, qui fabricat idola ut adorentur.

Probatur secundo ex L. 2. ff. de aqua pluviam arcenda §. Habeo: qui avertit torrentem, ne sibi noceat, unde factum sit, ut vicino noceat, agi non potest à vicino. Si modo hoc animo non fecit, ut vicino noceat. Ubi intentio nocendi fundat actionem in nocumento.

Probatur 3. ratione: qui est causa moralis effectus, illi est voluntarius effectus, sed ponens causam per accidens ex intentione effectus, est causa moralis effectus, ergo minor probatur, ponens causam per accidens ex intentione effectus, non purè permittit effectum, sed hoc ipso est causa moralis effectus, ergo major probatur, volens quantum est ex se, ut effectus causetur ab aliqua causa, non purè permittit effectum, sed ponens causam per accidens ex intentione effectus vult, quantum est ex se, ut effectus causetur à causa per accidens, ergo hoc ipso est causa moralis effectus.

61. Confirmatur: actio indifferens, qualis est actio causæ per accidens posita ex intentione effectus, connectit moraliter effectum, cum causæ per accidens, facitque, ut effectus sit causaliter voluntarius, & proprius ponentis actionem non minùs, quam obligatio vitandi causam, & effectum, sic eadem tentatio à DEO immisla ex fine probandi hominem sine peccati intentione, reddit peccatum permissum immisla verò à Dæmone ex intentione peccati reddit peccatum voluntarium Dæmoni.

Confirmatur secundo. Juxta multos occisor alicujus ex intentione nocendi occisi creditoribus tenetur ex Justitiâ loco occisi solvere creditores, etsi seclusâ tali intentione non teneatur, quia hanc seclusâ non influit per se, sed per accidens, è contra intentio reddit, ut ex causa per accidens fiat causa per se, eamque immutat non physicè, sed moraliter, assumit illam in medium ad effectum, quale medium non est seclusâ intentione, ita Lugo cit. apud P. Marin de Actib. Hum. D. 2. num. 48. docet de Just. D. 8. à num. 74. quod imperans actionem leviter injustam animo graviter nocendi peccet mortaliter, contra Justitiam cum onere restitutionis.

Hanc confirmationem censeo non esse efficacem, nam contradictoriam doctrinam amplexus sum in dissertationibus de Jure, & Justitiâ num. 373. & quidem ex hac ratione, quod animus graviter nocendi denominet quidem actionem externam graviter injustam, non tamen sufficiat ad onus restitutionis, nisi ipsa actio externa sit graviter injusta sed etsi actio supponatur leviter injusta, hanc Intentio

gra-

graviter nocendi non facit graviter injustam gravitate influxus in damnum creditorum, quia non influit intentio utpote interna in damnum externum, nisi medio influxu actionis externæ, hæc autem supponitur influere leviter.

Dices quamvis temperantia non obliget, ut omittatur cæna, aut confabulatio de se licita, graviter tamen obligat, nè quis cænet, aut confabuletur ex intentione securitæ pollutionis, ergo etiam licet justitia graviter non prohibeat actionem externam de se leviter injustam, graviter tamen eam prohibet, ne positivè procuretur animo graviter nocendi.

Respondeo esse disparitatem, quod Justitia propter jus alterius respiciat medium rei, à quo medio non fit recessus nisi levis per actionem leviter injustam, esto adsit Intentio præfata nocendi graviter, quia hæc nihil inminuit Jus alterius: temperantia verò respiciat medium rationis, à quo notabiliter recedit intentio procurandi pollutionem per media alioquin de se licita.

Concedo tamen, quod actio de se indifferens per injustam intentionem determinetur ad actum injustum, ut acceptio libri alterius animo sibi appropriandi quia sic determinata graviter lædit Jus alterius, & intentio prodit in ipsum actum externum.

62. Objicies 1. Ponens causam per accidens sine intentione effectus, nec est causa physica, nec moralis effectus, consequenter nec voluntarius causaliter, ergo etiam non est causa physica, nec moralis effectus, etiamsi ponat causam per accidens, seu non facit magis habilem ad effectum, consequentia probatur: non

physicè, quia ejus vires non auget: non etiam moraliter, quia in æstimatione hominum intentio operantis non facit ut ille se aliter habeat, seu ut immutetur per intentionem in genere causæ efficientis, sed si ita est, tunc operans etsi habeat intentionem ponendi effectum, non est causa physica, nec moralis effectus, atque adeo nec effectus est causaliter voluntarius.

Respondeo concessio antecedente nego consequentiam. Ad probationem nego secundam partem majoris: quoad moralem immutationem, & habilitatem majorem ad effectum; concedo physicè vires causæ non augere, nego non augete moraliter, siquidem moraliter ita immutat causam, ut hæc quæ sine intentione non erat medium, evadat per hanc medium, eligaturque ut medium ad effectus existentiam, proinde moraliter magis influit, magisque conducit ad effectum, sicut præceptum prohibens positionem causæ, nè sequatur effectus, facit quod operans habeat diversam habitudinem ad effectum, & quod causa moraliter magis influat, hujusque virtutem moraliter auget etiam per adversarios.

63. Objicies 2. Si intentio est apta reddere effectum voluntarium in causa per accidens, tunc etiam non impediens submersionem navis ex intentione submersionis obligaretur refarcire damnum secutum, sed hoc est falsum *per num. 61. versu hanc* confirmationem, ergo. Major probatur, qui physicè, aut moraliter causat damnum alterius, obligatur istud refarcire, sed impediens submersionem navis ex intentione submersionis moraliter causat submersionem, proinde damnum uti fa-

tetur

retur responsio ad præcedens argumētum.

Respondet nego majorem, nisi non impediens ex officio, proinde ex Justitia debeat impedire. Ad probationem concedo primam partem minoris de physicè causante, uti etiam secundam de causante moraliter, quando hic debet ex officio impedire, nego autem de causante moraliter, dum hic solum ex charitate impedire debet: disparitas est, quod alter habeat jus nè inferatur sibi damnum actione injusta, ponit autem actionem injustam tam physicè quàm moraliter, concurrens ad damnum, quando hic ex officio obligatur impedire è contra qui non debet ex officio impedire ponens causam per accidens non ponit actionem injustam etsi imperetur ab intentione injusta, si actio causa per accidens, de se non sit injusta, aut saltem indifferens ad injustitiam. *per num. 61. versus concedo tamen.*

64. Objicies 3. Ponenti causam per accidens ex intentione effectus, vel vi intentionis effectus est præcisè volitus, vel intentio se ipsa inducit effectum, si primum, effectum non reddit causaliter voluntarium, si secundum est similis intentioni pollutionis, quæ præ cæteris intentioni-


bus se ipsa inducit pollutionem, sic autem intentio non causabit effectum per positionem causa per accidens, sed se ipsa causabit per se, effectum causaliter purè internâ.

Respondet vi intentionis non esse effectum præcisè volitum, nec intentionem se ipsa inducere effectum: non est paritas ab intentione pollutionis, cui specialiter convenit, quod effectum intentum se sola procuret, dum ponitur causa per accidens, sine causa per se, quo casu procuratio pollutionis est purè interna. Hinc pollutio ex turpibus cogitationibus secuta sed non intenta non est reservata etiam in societate, licet in hoc sit reservatus non solum voluntarius lapsus carnis, sed omne peccatum externum contra castitatem, quia consensus interius sine externo eoque gravi non cadit sub reservationem Dicastill. de penitentia. D. 11. num. 87. apud P. Marin. de Actib. Hum. D. 2. n. 4. in fine.

Non etiam intentio se ipsa inducit effectum, sed cum causa per accidens, quam eligit ut medium, eaque mediante est moraliter procuratio externa effectus, propter rationes nostræ assertionis.

*num. 60. & 61.*





§. VII.

An prævisus effectus in causa per accidens sit voluntarius causaliter obligato vitare causam, & effectum? hujus occasione dicitur an incurrat casum reservatum Religiosus peccato de se veniali incitans alios ad fornicandum proinde an graviter ledat votum Castitatis?

65. **E**sse effectum affectivè voluntarium concedunt omnes, quia voluntas afficitur effectui prohibito: at esse etiam causaliter seu effectivè voluntarium negat Arriaga 1. 2. D. 8. S. 6. cum alijs apud Marin. de Actib Human. D. 2. num. 36. & 60. inter quos est etiam Amicus negans esse voluntarium vi præcepti, sed ex eo, quòd hoc secluso sit voluntarius, cujus fundamentum produxi nu. 52. Contra hos.

Resp. cum Communi sententia ad primam partem §, affirmativè apud Marin. cit. num. 56. ex S. Th. 1. 2. q. 6. art. 3. probatur ex Soarez secundùm adversarios effectus prævisus in causa per accidens in his circumstantijs est affectivè voluntarius, ergo etiam est voluntarius causaliter, seu effectivè, consequentia probatur, ponenti moraliter effectum est effectus causaliter voluntarius, sed dum est obligatio, vitandi effectum, & causam per accidens, nè sequatur effectus, ponens causam per accidens ponit moraliter effectum, ergo ponenti tunc causam per accidens est effectus moraliter voluntarius. Minor probatur eadem prohibitio, quæ prohibet causam per accidens, prohibet etiam effe-  
R. P. Karch, Diss.

ctum, sed ponenti causam hujus positio est effectivè, seu causaliter voluntaria, nempe in volitione illam ponendi, ergo etiam positio effectus est causaliter, seu effectivè voluntaria in positione causæ per accidens.

Confirmatur: Causa per accidens ratione obligationis illam vitandi evadere potest causa per se damni, damnùmque est tunc voluntarium non solum affectivè sed etiam effectivè, ut patet in gubernatore urbis, custode sylvæ, depositario, commodatario, per num 54. *versu*. Confirmatur probatio. Qui sunt causa damnorum per se, non impeditorum, quæ impedire poterant, & ideo obligantur compensare damna, secùs alij ex officio non obligati, quia hi per accidens concurrunt ad damna ista, sunt tamen causa per se malitiæ contra charitatem, quæ obligat impedire causam per accidens secùs Justitia.

Hæc confirmatio est ad mentem Juris Can. qui potest 23. q. 3. nec enim caret scrupulo societatis secura (id est cooperationis) qui manifesto facinori desinit obviare, & Cap. non inferenda & R. J. Civilis 164. qui non facit, quo fas  
G cere

*vere debet, videtur facere adversus ea que non facit* Consonat R. J. can. 8.

Est etiam conformis communi opinionioni, quod malo exemplo Scandalizantibus alios cum pravisione lapsus eorundem sit horum lapsus causaliter voluntarius, etsi pravum exemplum sit causa solum per accidens alieni lapsus, est contra cit. proximè Arriag. Aranda 1, 2, D. 5. num. 206.

66. Objicies 1. Non potest esse effectus causaliter voluntarius voluntati, nisi ab intrinseco ab ea ut causa profluat, sed si secluso præcepto vitandi effectum, & causam, nè sequatur effectus, voluntas est causa per accidens, nequit etiam post præceptum ab intrinseco profluere à voluntate ut causa, quia præceptum est circumstantia voluntati extrinseca, eam in ratione causa non augens, nec immutans, sed hoc ipso ab illa ut causa non profluit effectus ab intrinseco, sicut non profluit secluso præcepto.

Respondeo argumentum solvi ex num. 62. Concessa majori, nego minorem. Ad hujus probationem dico præceptum non augere, nec immutare physicè causam, sed moraliter, præceptum enim prohibens causam titulo vitandi effectus, causam, aliàs non ordinatam ordinat ut medium ad effectum, nam transit ex causa per accidens ad causam per se per n. 54. & 65.

Instabis circumstantia præcepti non ponendi effectum, & causam nequit causam de se non ordinatam ad effectum, ad hunc illam ordinare, sed si sic, nequit causa per accidens transire in causam per se, ergo. major probatur. Id, quod revocat ab effectum, nequit causam ordinare

ad effectum, sed circumstantia præcepti revocat voluntatem ab effectum, cum supponatur hunc illi vetare, eamque ab illo retrahere.

Respondeo ex nu. 55. versu. Dices, verum esse quòd voluntatem retrahat, & ideo nihil physicè confert ad existentiam effectus, est tamen conditio necessaria, ut effectus sit moraliter imputabilis voluntati.

Respondeo secundo, nego majorem. Ad probationem dico, quòd secundum se in actu primo remoto retrahat, sed moraliter in actu primo proximo, & in actu secundo, quia cum eadem prohibitio prohibeat causam, & effectum, volens causam, in aestimatione hominum censetur velle effectum, quod non fit secluso præcepto, licet ergo præceptum non approximet voluntatem ad effectum alligando ad istum, censetur tamen moraliter causam conjungere cum effectum quatenus est conditio necessaria quæ stante censetur una, & eadem volitio causa, & effectus pravisi prohibiti.

67. Urgebis, ommissio missæ die festo pravisa in ludo tempore missæ assumpto, ut sit voluntaria, debet esse libera, sed præceptum non est conditio, ut sit libera, ergo nec, ut sit voluntaria. Min. probatur præceptum supponit potestatem ad agendum, & non agendum, finis enim præcepti est, ut voluntas potens actum omittere, hunc non agat, sed omittat, ergo supponit liberam actus omissionem, atque adeo voluntati non tribuit libertatem omittendi.

Respondeo transeat major (quæ negari potest ut patet in omissione necessaria, quæ est voluntaria quin sit libera) nego mi-

minorem. Ad probationem distinguo antecedens, præceptum supponit potestatem physicam ad agendum, & non agendum concedo antecedens, potestatem moralem nego antecedens. Ad hujus probationem finis præcepti est ut voluntas potens physicè actum omittere, hunc non agat, sed omittat potestate morali, seu imputabili: & distinguo consequens præceptum supponit physicè liberam a-ctûs omissionem concedo consequentiam, supponit moraliter liberam nego consequentiam, proinde non tribuit voluntati libertatem physicam, sed moralem.

68. Objicies 2. Voventi impedire causam per accidens, effectus in eâ prævius per votum non redditur voluntarius causaliter, ergo nec per præceptum prohibens eandem causam, par enim est vis voti, & præcepti, antecedens probatur si votum voventi redderet effectum causaliter voluntarium: qui vovisset vitare causas per accidens pollutionis, eas ponenti redderetur voluntaria pollutio, isquè peccaret non solum contra votum sed etiam incurreret pœnas pollutioni annexas e. g. reservationem, foret enim procurator pollutionis, quia votum ex causâ per accidens efficeret causam per se pollutionis, juxta nostra principia sæpiùs insinuata præsertim *num. 54. & 65.* hoc autem videtur nimis durum.

Respondeo nego antecedens, ad probationem concedo ponenti eas reddi pollutionem voluntariam, concepo etiam peccare contra votum, nego autem incurrere reservationem, quia causâ per accidens pollutionis procurat hanc solum leviter, non graviter, quia non ex se, & per se efficaciter procurat, seu non nota-

biliter influit in pollutionem, hæc autem reservatur duntaxat causis ex se, & per se efficacibus pollutionis.

69. Objicies 3. Si stante præcepto prohibente ponere causam per accidens, effectus esset causaliter voluntarius eam ponenti, obligatus impedire homicidium, si non impediret, causaret, & procuraret homicidium, sed hoc est falsum, ergo minor probatur, si causaret, & procuraret homicidium, cui esset annexa irregularitas, uti est annexa excommunicatio, & reservatio, omnia hæc incurreret, hoc autem videtur nimis difficile, aliàs etiam incitans suo exemplo ad homicidium incurreret prædictas pœnas, quod adhuc est difficilius maximè gubernatoribus urbium.

Respondeo concessâ majori nego minorem: Ad probationem concessâ majori negat minorem *Dicastill. tr. 2. de Censu: c. 15.* post Soarez. Ego verò nego majorem: cum *Sanch lib. 1. Summac. c. n. 5.* & alijs apud *Dian. p. 4. tr. 2. Resol. 7.* quia irregularitas, & excommunicatio imponitur solis positivis, ac directis occisionibus, non enim perfectè ac directè violatur lex *Justitia sine vero influxu in injustitiam, aut nisi quis ex contractu, aut officio debeat impedire, & non impedit.* Ita Sanchez.

Dantem malum exemplum cum *Marin num. 62.* ex consensu omnium nego perfectè ac directè committere crimen injustitiæ, quod prævidet ab alijs patrandum, sed imperfectè ac reductivè dici tale. Gubernator non est pastor idcirco non tenetur dare bonum exemplum inquit citatus Author, & ideo si quæ damna sequuntur ex malo suo exemplo non est ex

justitia obligatus illa impedire, tenetur tamen ex officio, proinde ex Justitia impedire eos, qui intendunt inferre damna, eosque si damnificaverunt, compellere ad compensandum. Imò Pastor fidelium e.g. Episcopus si suo exemplo sit occasio damnificationis, deobligatur à restitutione, quia obligatio pascendi oves in bonum peccantium non se extendit ex justitia in bonum damnum patientium.

Hinc probabilior opinio cum Soarez *to. 4. in 3. p. D. 32. S. 6.* Confessarium, qui pœnitentem neglexit monere restitutionis faciendæ, liberat ab onere restituendi ex ratione insinuatâ, quod ejus officium se non extendat ad procurandum ex justitia cæterorum commodum, sed pœnitentiam parochianorum.

70. Objicies 4. Si effectus prævisus in causa per accidens foret voluntarius obligato vitare causam, & effectum, sequeretur quod Religiosus committens peccatû ex se leve, sed incitans illo mediante aliquem ad fornicandum lethalis culpæ esset reus contra votum Castitatis, casumque reservatum incurreret in Religione Societatis, sed hoc est nimis arduum, ergo, major probatur in Religione societatis omne peccatum externum grave contra castitatem est reservatum, sed committens peccatum ex se leve incitans ad fornicandum committeret peccatum externum grave contra castitatem, ergo medio levi peccato Religiosus incitans aliquem ad fornicandum casum reservatum incurreret, in Religione societatis. minor patet: peccatum enim ex se leve ratione scandali transiret in mortale, & quidem ejusdem speciei cum eo, in quod alter inducitur.

Confirmatur si Religiosus in dicto casu suo exemplo leviter de se peccaminoso alios Religiosos induceret in ruinam spiritualem, & hi, & ille peccarent peccato sacrilegij mortalis.

71. Objectio ista ex Sanch. *lib. 5. c. 6. num. 10. apud Lug. de pœnit. D. 15. num. 151.* est gravis, tangitque secundam partem tituli §. præsentis, ac insuper pro sui elucidatione, postulat præmitti aliqualem notitiam de natura scandalii, hoc enim est duplex, unum passivum, alterum activum; passivum est ruina spiritualis, seu peccatum, ad quod proximus labitur ex occasione dicti, aut facti alterius de se mali, aut speciem mali præferentis, & ideo lapsus ejusmodi dicitur scandalum passivum datum, utpote ortum ducens ex scandalo activo alterius; si factum, aut dictum alicujus, nec mali speciem præferens, vocatur acceptum sic dictum, quod præcisè ex malitiâ, id est, malâ voluntate proximi nascitur, tale fuit scandalum pharisæorum in operibus Christi. Activum scandalum est dictum, aut factum minus rectum præbens proximo occasionem peccandi ita S. Th. *2. 2. q. 43. art. 1. Dixi occasionem*, quia rectè observat Sanch. *lib. 1. Summa c. 6. num. 1.* scandalum activum esse non potest, nisi externa alicujus actio, aut dictio, aut omisio, nihil autem extrinsecum potest esse causa efficax voluntatis proximi ad peccandum, sed tantum occasio, si ipsa sponte velit.

Activum subdivisum est in directum, & indirectum. Directum est, quo directè intenditur ruina spiritualis proximi: dupliciter autem potest, ut bene advertit Lugo *num. 157*, intendi ruina seu damnum

num spirituale proximi: primò formaliter; secundò materialiter. Formaliter, quando lapsus ejus intenditur quoad formale, seu quatenus est offensa DEI, qualiter intenditur à diabolo, rarissimè autem ab homine, nisi à mago, aut saga materialiter verò, seu quoad materiale, quando intenditur lapsus, non quia est malum ejus, sed quia est lucrosus, aut delectabile: hoc modo scandalizat fœminam sollicitans ad commercium. Indirectum est, quando ruina proximi non est intenta, sed prævitetur secutura ex meo dicto, aut facto.

Scandalum, directum activum primò modo sumptum est peccatum speciale contra charitatem, id est, opponitur charitati, oppositione non solùm generali, prout omne peccatum mortale illi contrariatur, sed specifica, aut speciali, estque insuper contra illam virtutem, quam suo peccato violat scandalizatus, quo casu secundùm omnes, debet qualitas scandali passivi tunc in confessione exponi, an scilicet fuerit furtum, aut fornicatio, aut sacrilegium contra votum v. g. Castitatis.

72. Controvertitur autem primò, an scandalum indirectum activum sit speciale peccatum contra charitatem. Secundò gravius, an sicut scandalizans directè peccat non solùm speciali scandalo contra charitatem, sed etiam speciali peccato, in quod inducitur proximus, proinde saltem reductivè peccat contra illam specialem virtutem, quam violat scandalizatus, ità etiam peccat scandalizans indirectè.

Ad primam controversiam respondet Valent. & communis apud Sanch. num. 2.

affirmativè, ipse verò num. 3. Vasquez 1. 2. D. 102. c. 4. num. 7. negat, & quidem etiam de scandalo directo intendente solùm ruinam proximi materialiter. Hanc opinionem ut probabiliorem sum amplexus in tr. de Actib. Hum. olim in scholis num. 133. Caterùm utraqùe sententia concordat in hoc quod scandalizans etiam indirectè, debeat exponere in confessione circumstantiam scandali, nempe quòd suo exemplo, aut opere dederit occasionem proximo peccandi graviter, utrum verò etiam sit exprimenda species peccati, in quod indirectè quis inducitur, est difficultas mota in secunda controversia, in qua est biceps sententia.

Prima negans: ità Lug. num. 159. & 167. in quam inclinat Soarez D. 10. de Char. num. 9 negans alias virtutes præter charitatem obligare ad vitandum scandalum indirectum, & dat disparitatem inter charitatem, & reliquas virtutes, quòd illa sit universalior, ac excellentior virtus, & ideo magis plurièque obliget, quàm ceteræ virtutes, neque est simile de illo, qui per consilium directè inducit, nam hoc apertè est contra obligationem cujusvis virtutis, quia habet adjunctam voluntatem contrariam directè illi virtuti, contra quam inductus peccat.

Ex hac opinione sequitur, quod non sit in confessione obligatio explicandi conditionem, & statum personarum quæ peccant, contra Castitatem inductæ ad id indirectè Lugo à num. 163.

Secunda sententia communior affirmat cum Laym. Lib. 2. tr. 3 c. 13. nu. 6. Dicastill. de pœnit D. 9. nu. 336. Dian. p. 2. tr. 4. Resolut. 114. & p. 5 tract. 7. Resolut. 3. pronunciantes apud Gobat in

*Theologia Juridico-moralis* c. 13. n. 81. Edit. 1661. in Edit. verò secundà n. 62. Notandum verò est, inquit Diana hic unum quod plurimi nolunt intelligere, videlicet in casu, quoties, à te alius scandalizatos esse, teneri in confessione explicare numerum personarum, & speciem peccatorum. Gobat verò etiam hanc opinionem ut multò securiorem suadeat in praxi pœnitentibus omnibus, confessarios tamen rationabiliùs facturos arbitratùr pro diversitate pœnitentium sequi priorem videlicet cum ijs pœnitentibus, ex quibus sine molestiâ species peccati, in quam proximus lapsus est, exquiri nequit, cum sufficiat obligatio charitatis, ad me obligandum, nè positivè indirectè ad violationem cujusvis virtutis in altero, cooperer nulla verò alia virtus videtur nos obligare, ut nullus etiam indirectè solùm sit causa expellens virtutem ullam ex alieno subjecto.

73. Respondet hæc secunda sententia, quod ex primaria cujusvis virtutis obligatione resultet duplex obligatio: una directà, nè positivè proximum moveamus. e.g. consulendo læsionem virtutis. v.g. iustitiæ, altera indirecta ad abstinendum ab omni actione positivâ, ex quâ prævideretur alter violaturus justitiã, hæc secunda obligatio justitiæ læditur per scandalum indirectum, quod sufficit, ad contrahendum peccatum iniustitiæ in scandalizante. Unde observat cit. Dicastill. *nu.* 332. quod modus scandalizandi indirectè per actionem positivam e.g. pravum exemplum differat à modo scandalizandi per omissionem e.g. correctionis fraternæ, quâ adhibitâ proximi ruina fuisset impedita, quod ibi actio positivè influat moraliter in

proximi ruinam, eò quod ponat aliquid cum advertentia secururæ ruinæ: hic autem omittens correctionem nihil præster, sed negativè se habet respectu peccati proximi, quod omittit impedire, & ideo nequit illi imputari species peccati, in quod ruit proximus, secùs ibi.

Hinc hæc sententia solvit argumentum Cardinalis Lug. *num.* 167. positum omissio correctionis fraternæ est solùm peccatum contra charitatem, secùs etiam species peccati non correcti etiam secundum adversarios apud Dicastill. *num.* 339. nisi quis ex officio teneatur impedire, ergo etiam scandalum indirectum est præcisè contra proximi charitatem, secùs contra justitiã, dum proximus exinde hanc violat. Solvit inquam argumentum negando consequentiam, disparitas colligitur ex proximè dictis, quod omissio correctionis non influat moraliter in lapsum proximi, influat verò actio positivã.

Ob hæc *in tr. de Actib. Hum.* *nu.* 133. istam opinionem in scholis prætuli ut probabiliorem negativæ, nihilominus judico negativam esse tutam in praxi.

74. Nunc ut propinquoires firmus solutioni argumenti nobis objecti *nu.* 70. debet enodari pars posterior præsentis §. Hujus porrò enodatio dependet à sequente quæstione.

Quæstio igitur est, an votum castitatis perfectæ, sive simplex, sive solenne comprehendat actus tum internos, tum externos versantes non solùm circa castitatem propriam sed etiam alienam, proinde voventem obliget abstinere non solùm ab actibus luxuriosis proprijs, seu oppositis propriæ castitati, sed etiam ab  
acti-

actibus tendentibus in luxuriam alienam, id est, oppofitis caftitati aliena.

Non fe extendere ad confervandam alienam, feu ut aliena non violeatur actibus illicitis, five internis habentibus pro objecto luxuriam alienam, e.g. defiderio, quo Religiofus optat fornicationem Petri fine propria delectatione, five externis, ut fi Religiofus confulat faculari, aut cor-religiofo fornicationem, aut pollutionem, absque propria delectatione, docet Sanch. *lib. 5. Summa C. 6. num. 10. Pal. p. 3. tr. 15. D 3. num. 2.* approbans opinionem Sanchezij, quod Religiofus peccans peccato veniali contra caftitatem: at ratione circumstantia extrinseca mortali, ut fi eo peccato veniali alter inducatur ad mortale peccatum contra Caftitatem, peccat quidem mortaliter peccato scandali, contra votum verò suum solum venialiter. Idem sentit Arriaga. *to. 8. de pœnit. D. 32. num. 20. Pelliz. to. 1. tr. 4. c. 3. num. 62.* sic probans cum Sanchez quod licet scandalum illud datum faculari reducatur ad peccatum contra Caftitatem, & datum Religiofis ad sacrilegium, non est tamen proprie contra propriam caftitatem, quam Religiofus tenetur in se servare, & quæ sola cadit sub voto, & cujus violatio tantum reservatur. Hanc sententiam censet probabilem Cardenas. *Crisis Theolog. contra. Caramuel. D. 38 num. 30.*

75. Ex hac sententiâ facilis patet solutio objectionis factæ *num. 70.* cujus major quoad partem utramque negatur. Ad probationem. Distinguenda est major, omne peccatum externum grave præcisè contra Caftitatem est reservatum nego majorem: omne peccatum externum grave contra votum Caftitatis est reservatum

concedo majorem, & distinguo minorem committens peccatum ex se leve incitans ad fornicandum committeret peccatum externum grave præcisè contra caftitatem concedo minorem, committeret peccatum externum grave contra votum Caftitatis nego minorem, & consequentiam. Illud peccatum ex se veniale contra caftitatem transfiret rationi scandali in mortale externum grave, quod fit tale præcisè contra caftitatem, secus contra votum caftitatis, feu quod fit grave contra propriam caftitatem. Unde si malo exemplo Religiofi de se levi facularis inducatur ad fornicandum, incitans non committit sacrilegium grave: si inductus fit Religiofus committit sacrilegium grave, eò quod scandalum reducatur ad speciem peccati scandalizati, tale tamen non est reservatum, quia non est peccatum externum grave contra caftitatem in se servandam, seu contra caftitatem propriam, ita P. Joan. Marin. *de Actib. Hum. D. 2. nu. 67.* Imò nego quod foret mortale contra caftitatem, sed contra charitatem insistendo sententiæ probabili negativæ ad controversiam secundum *nu. 72.* juxta quam scandalizans indirectè non incurrit speciem peccati, quod committit scandalizatus. Hinc.

Respondeo ad Confirmationem in eo casu si Religiofus Religiofos induceret ad fornicandum, si peccarent Sacrilegio mortali, inducens autem duntaxat veniali juxta præfatam sententiam mortali verò inhærendo sententiæ affirmativæ probatæ. *num. 73.*

76. Altera sententia ad quæstionem *num. 74.* affirmat actus illicitos contra caftitatem alienam violare votum caftitatis: hanc

hanc ut probabiliorem sequitur Carden. à num. 31. præmittens probationi, quod actus tam interni, quam externi in quæstione insinuati habentes pro objecto luxuriam alienam sint propriè, & directè oppositi virtuti castitatis, idque supponit ipsa quæstio. Probatum nunc assertio: materia voti castitatis Religiosa est omnimoda castitas secundum communem Theologorum sensum, audiatur primò Soarez *ro. 4. de Relig. tr. 10. Lib. 4. c. 1. n. 1.* agens de voto Castitatis Religiosorum societatis: *Suppono inquit primò, hoc votum esse omninò integrum. & perfectum tam in extensione materia, quàm in obligatione, quam inducit; comprehendit enim totam materiam castitatis sine ulla restrictione, & ad totam illam observandam obligat, cum omni rigore, cum quo potest obligare castitatis votum.* Subsumo sed votum Castitatis potest obligare, ut vitentur actus tam interni quàm externi tendentes in luxuriam alienam, uti est evidens, ergo votum castitatis Religiosa, obligat ut vitentur actus tam interni, quàm externi tendentes in luxuriam alienam. Vide eundem *ro. 3. lib. 9. C. 2. num. 2.* ubi addit esse certissimum ejusmodi voto interdici omnem actum non solùm externum, sed etiam internum consensum, & desiderium cujuscunque turpis actus: idque sentire reliquos omnes Theologos allegatos apud Carden. citata *Cris. D. 37. num. 90.* ut ipse testatur.

Unicus his se opponit Caramuel *Commentario in Regul. D. 66. nu. 981.* ubi distinguit castitatem à pudicitia, quòd illa sit Corporis, hæc animæ: illa respiciat actus delectationum venerarum ex-

ternarum, pudicitia verò internarum, sed subsumit ille num. 986 Religiosus vovet castitatem, non pudicitiam, ergo Religiosus solùm vovet abstinere ab actibus delectationum externarum venerarum, non verò internarum. Hanc Theologiam ut falsissimam per decem capita impugnat solidè Cardenas *cit. D. 37. à c. 2.* pudicitiamquè versari etiam circa externas voluptates demonstrat ex S. August. uti & quod proximè idem sanctus actus tum externos tum internos attribuat pudicitia, & castitati.

Audiatur secundò Less. *Lib. de Just. c. 41. num. 78.* loquens de Religioso: *ex voto castitatis tenetur primò abstinere à conjugio, deinde ab omni actu externo, & interno, qui sit contra castitatem, ut à turpibus cogitationibus, & delectatione morosa à pollutione, ab omni actu venereo, à turpi contactu, ab impudico aspectu, denique ab omnibus istis quæ aliquo modo sunt contra votum Castitatis, quibus enim in seculari extra conjugium est aliquo modo peccatum contra castitatem, etiam in Religioso est sacrilegium contra votum: ità tamen ut malitia sacrilegij sit mortalis in ijs actibus, in quibus malitia libidinis est mortalis: venialis verò, in quibus illa est venialis, sed desiderium, ut fornicetur Petrus, aut suadere illam in seculari est quid extra matrimonium, & peccatum mortale contra castitatem, ergo in Religioso est sacrilegium contra votum.*

77. *In tr. Scholastico de Actib. Hum. num. 66.* huic secundæ sententiæ ut probabiliori subscripsi, addidiquè Religiosos societatis vovere castitatem juxta hanc

hanc sententiam, quia hi emittunt sua tria vota omnia uti promissioni illorum in formula à sancto Patre nostro præscripta p. 5. *Constit. c. 4. §. 4.* immediatè subditur: *Intelligendo juxta ipsius societatis Constitutiones:* Hæ autem p. 6. c. 1. ita loquuntur. *Qua ad votum Castitatis pertinent, interpretatione non indigent, cum constet, quàm perfectè sit observanda, nempe eritendo Angelicam puritatem imitari, & corporis, & mentis nostram munditià?*

Neque dicas hanc sancti Patris nostri constitutionem esse hyperbolicam, continerèque duntaxat consilium, cum sit impossibilis imitatio puritatis Angelicæ, non inquam dicas, quia ea similitudo, seu imitatio puritatis Angelicæ verè, & propriè in nullo alio consistit, quam in castitate mentis (uti ostendit ex S.S.P.P. Carden. *D. 37. c. 12. à n. 114.*) quæ non est impossibilis, cum castitas mentis cadat sub præceptum divinum totaliter extra matrimonium, & partialiter intra, totaque materia, quam secunda sententia statuit pro objecto voti castitatis Religiosæ est moraliter possibilis.

Nec constitutio hæc est consilium de pertinentibus ad majorem perfectionem: ipsaque verba non significant consilium: *cum Constet inquit. Quàm sint perfectè observanda.* Consilium relinquit electionem, quando autem constat ali-

quid observandum, non relinquitur optio, sic Carden. *num. 127.* quem toto illo c. 12. disputantem de voto Castitatis societatis Religiosorum consule.

Deinde secundam sententiam esse præferendam primæ neganti cadere sub votum castitatis, castitatem alienam eruitur ratio non contemnenda, quod plerique ejus Patroni inter quos Sanch. *Lib. 1. in Decal. c. 6. num. 3. & 8.* tradunt, peccatum scandali pertinere ad eandem speciem ad quam inducitur scandalizatus, quare scandalum ad fornicationem secutam ex peccato Religiosi levè contra castitatem pertinebit ad speciem fornicationis, atque adeo Religiosus absolute vovens castitatem, videtur peccare contra ejusmodi votum, & tenebitur explicare circumstantiam voti, quod tamen ipse negat, quæ negatio uti observat Lug. *de pœnit. D. 16. num. 152.* non cohæret cum ejusdem doctrina de scandalo.

Demum quando secunda sententia dicit votum castitatis se extendere etiam ad alienam castitatem, non est sensus, quod vovens se obliget ad procurandam castitatem etiam in alio, sed solum ad vitandos actus proprios versantes in luxuria aliena, proinde vovens se futurum castum, non vovet se facturum, ut alij essent casti, at bene, se non cooperaturum alienæ in-

castitati.





## §. VIII.

*An & quanta Culpa sit ponere causam, ex qua prævide-  
tur secutura pollutio.*

78. **P**Ræmitto primò cum Sanch. *lib. 9. de matr. D. 45. num. 2.* pollutionem in eo differre à distillatione, quod hæc sit humor medius inter urinam, & semen à natura generationi destinatum, qui humor est subtilior femine, unde facilius fluit, eumquè non comitatur notabilis carnis commotio, imò aliquando imperceptibiliter, seu absquè carnali motu. E contra pollutio est seminis fluxus inseparabilis à vehementi, seu notabili motu carnis pudendæ seu vasis generationis. Distillatio non est curanda, quam non comitatur carnis motus, habet enim se ut sudor: dum illa est notabilis, conjuncta est notabili spirituum vitalium commotioni, & ideo procuratio hujus est illicita. Sanch. *D. 17. num. 17. & D. 45. num. 31.* quia notabilis commotio spirituum est connexa cum venerea delectatione, quæ nunquam potest procurari: è contra distillatio non causat delectationem veneream, etsi accidat aliquando cum levi verendorum commotione, seu erectione. Sanch. *cit. num. 2.* idquè *num. 31.* supponit à contrario sensu, nempe dum commotio non est notabilis. Pollutio per *num. 43.* est actus, aut virtutis expulsiuæ, aut potentia generatiuæ, ita Sanchez *num. 14.* cujus verba hæc sunt; pollutio, cujus causa non est libera volun-

tas, aut alia notabiliter, ut illa subsequatur, influens, sed præcipuè provenit à virtute expulsiuâ minimè infert damnum notabile proli, sed sæpè est in commodum illius. Et talis modus expellendi non est ex suo genere contra ordinem naturæ, imò ordinè, & vi ipsius naturæ expellitur id semen. Item quia cùm applicatio ad coitum fiat medio appetitu, sola seminis expulsio facta per appetitum, tendit suapte natura ad coitum, quæ autem fit per vim expulsiuam, tendit suapte naturâ non ad coitum, sed ad naturæ alleviationem, quare jus naturale prolis inde minimè violatur, sed illæsum manet, si emissio seminis non fiat extra copulam conjugalem interveniente appetitu directè, & expressè illam volentis, vel indirectè & tacitè, applicando causas notabiliter pollutionem excitantes; quales sunt eæ solæ, quæ ad luxuriam pertinent. Tandem, quia vis expultrix nec politicè, ut appetitus, nec despoticè, ut manus, subiacet suapte naturâ gubernationi nostræ: actus autem hujusmodi virium non sunt per se ordinati ad animasticam seminis gubernationem, ad quam solam tenetur homo stricto præcepto obliganti sub culpa lethali. Tenuis ergo obligatio est vitandi pollutionem, quæ nec ex appetitu procedit, nec ex causis per se, & notabiliter ad illius

fluxum concurrentibus. Hucusque Sanch. Cujus doctrina bene notanda, quia, ut patebit, ex ea dependet decisio gravissima praesentis quaestionis. Hinc.

79. Praemitto secundò secluso periculo consensùs in pollutione fas est pharmaco uti ex se non tendente ad veri seminis ejectionem sed ad expellendos humores corruptos, etsi praevideatur cum his secutura seminis veri effusio, seu pollutio, quia licita est procuratio salutis virtutis generativae, spectat enim ad naturae humanae integritatem: hoc fit usu talis pharmaci directè à natura sordinati ad expellendos corruptos humores, siquidem hi obstant virtuti generativae. Sanch. n. 9.

Praemitto tertio ex unanimi DD. consensu vacare culpam pollutionem praeter intentionem secuturam ex causa necessaria, aut honesta vel utili corpori, ut ex cibo, vel potu moderato aut convenienti animae propriae, aut alienae ut studere casibus de rebus obscuris, de his audire confessiones, cautè & ex necessitate loqui cum femina, dummodo absit periculum consensùs, quia nequit imputari jus suum prosequenti per media de se licita, dum non intenditur pollutio, tunc enim per accidens haec se habet respectu ponentis talem causam, & nisi hoc liceret, deberent innumeratae actiones necessariae, aut utiles omitti non sine plurimis scrupulis, ita citati DD. quos recitat Sanch. num. 4. & 8. cum S. Th. 2. 2. q. 154. art. 5. Corp.

Dixi dummodo absit periculum consensùs in delectationem pollutionis, tunc enim sub lethali abstinendum est à positione causae etiam de se licitae, quia tunc hanc ponens amaret periculum, con-

sequenter periret in illo Ecclesiastici c. 30 nisi causa valde sit urgens ad se exponendum illi periculo, ut Medicus, aut Chyrurgus rangens, aut aspiciens foeminea pudenda ad medendum, eo casu cum firmo proposito non consentiendi exercens talem actum non amaret periculum, sed pateretur confidens ad fore auxilium Divinae misericordiae, est communis cum Sanch. n. 6. & 8.

Doctrina hujus praemissionis tertiae habet locum, etsi positio causae de se licitae sit illicita ex circumstantia non influente in pollutionem, ut si confessarius ob vanam gloriam excipiat confessionem, aut cibos sustentationi necessarios edat cum violatione jejuniij, nullatenus influit, Sanch. num. 5. & supponitur abesse consentiendi periculum, quale tunc contingit, quando quis est expertus se in simili occasione ferè semper in culpam mortalem labi, Sanch. num. 6. Idem censeo, etsi non ferè semper, sed communius consentiat, adhuc enim est periculum proximum, & quidem non solum probabile, sed probabilius.

Amplia doctrinam dictae praemissionis tertiae ad omnem casum, quo ponitur causa utilis, nec natura sua ordinata ad pollutionem, ut si quis expertus sit praeter intentionem sequi pollutionem ex equitatione, Sanch. num. 7. Vasq. 1. 2. D. 113 num. 8. equitatio enim per se non causat illam.

80. Praemitto quartò pollutionis malitiam, sive contingat in somno, sive in vigilia esse eandem, vigilia enim, aut somnus nihil confert, sed causa, dum in hac est directè, aut indirectè volita

Sanch. num. 3. ex Valent. 2. 2. D. 9.  
q. 3. p. 3. §. Porro ad incurrendum.

Præmitto quintò in nullo casu esse licitam pollutionis procurationem medijs quantumcunque licitis ex fine quocunque honesto, etsi foret necessaria pro vitæ conservatione, ita omnes teste Sanch. lib. 9. de Matr. D. 17. num. 15. rejectis aliorum rationibus minus efficacibus dante istam: quod si jus naturale pro aliquo casu redderet licitam seminis procurationem, seu profusionem directam ob vehementiam delectationis, in quam summè propendet natura corrupta, facillimè excacatus intellectus sibi persuaderet adesse nunc necessitatem profundendi; cui periculo, ut obviaret natura, noluit seminis administrationem pro ullo casu committere homini ob bonum commune prævalens. Hinc est disparitas, cur natura constitueret hominem administratorem cæterorum membrorum, quorum abscissio pro conservatione totius corporis est licita: e.g. testiculorum, quia ob summum dolorem, quem committitur abscissio, non est periculum ea prodigendi sine necessitate, è contra ob delectationem carnalem natura suâ ordinatam

ad solam procreationem foret evidens periculum, semen prodigendi extra casum procreationis licitæ, quæ prodigalitas opponitur communi bono procreationis.

Quid si semen jam sit decisum è lumbis, an tunc sit licita cooperatio ad ejus effusionem, saltem si retentio graviter noceret? Respondeo nec hoc licere, quia etiam tunc esset procuratio, & administratio effusionis: Sanch. n. 16.

Ergo est etiam obligatio cœprum aliunde naturalem seminis fluxum, quem è somno evigilans quis patitur, impediendi, seu cohibendi ne natura in somno irritata in vigilia se exoneret. Respondeo negando illarum cum cit. Sanch. quia hoc non est procurare, sed pati fluxum humoris, à quo se natura liberat, ne corruptus noceat. Monet autem salubriter, ut patiens immotus persistat sine omni tactu sequè Crucis signo muniat, oreque DEUM, ne labi sinat in consensum, idque extendit ad eum, qui pollutionem procuravit, at in ipso fluxu facti pœnitet, nam dolor defacto culpam interruptit, & ideo non tenetur fluxum reprimere, cum non ampliùs agat, sed solum patiatur.

### §. IX.

*Ante decisionem Controversiæ §. superiore propositæ resutandus est Joannes Sanchez.*

81. **D**ecisio est periculosa, nè si sit nimis stricta, conscientias redigat in angustias, aut si ijs nimium fa-  
veat, laxet frænnum in materia valdè lu-  
bri-

brica, prout laxavit Joannes Sanchez in *select. D. 21. à num. 15. & D. 23. num. 29.* statuens primò, quod efficaciter, & per se non influat in pollutionem impudica verba, cogitatio turpis, aut tactus, etsi sint peccata mortalia, dummodo non nimis continuantur, quia si essent causa efficax, dum ponuntur, actu deberet regulariter existere pollutio, hoc autem est contra experientiam. Ex hoc.

Statuit secundò ex cogitatione turpi diurna non causante pollutionem, dum est præsens, non posse hanc in somno secutam imputari ad culpam, quia ad eam utpote jam præterita cogitatio non potest influere per se, & in se, nec ostendi potest ulla virtus physica à turpi cogitatione producta, & in somno perseverans, naturam irritans ad pollutionem.

Statuit tertio eum, cui in somno accidit pollutio, etsi interdiu præcesserit cogitatio, aut tactus, vel verba impudica mortaliter peccaminosa, prævisam in ijs pollutionem secutam deobligari confiteri, dummodo uti dictum, præfati actus non fuerint diuturni, extenditque, etsi fuerint continuati cum magna spirituum commotione, quia, nisi sequatur ad præsentiam actualem ejusmodi actuum, est signum, quod commotio efficaciter non influxerit.

82. Ut argumentum Sanchezij, quod Caramuel *D. 68. in Regul. num. 1051.* vocat efficacissimum funditus enervetur.

Notandum primò cum Carden. in *Crisi Theologica. D. 42. num. 15.* quod in re veneræ cognitio sit speculati-

va, aut practica. Per practicam hic non intelligitur in rigore philosophico, juxta quem practica dicitur, quæ præscribit modum, & media exercenda delectationis veneræ, sed, quæ proponit objectum veneræ delectabile, ut quid suæ carni delectabiliter conveniens, sive modo delectabili, id est, modo provocante ad delectationem sensibilem. Si objectum veneræ delectabile proponat cogitatio non modo delectabili, id est, sine provocatione ad sensibilem delectationem, dicitur cogitatio speculativa in re veneræ, quæ sistit in objecti contemplatione; unde ulterius pergens, ut, si commovet spiritus veneræ, jam degeneret in practicam.

Hinc cogitatio studentium rebus obscenis, de his loquentium, audientiumve confessiones absque commotione etiam involuntaria, est speculativa: quando autem statim commoventur spiritus carnales, signum est, quod modo delectabili-objectum attingat, id autem timoratis accidit involuntariè. Ex hac duplici cogitatione oritur duplex delectatio, nempe practica, & speculativa: hæc fertur in objectum delectabile modo eo, quo proponitur à cogitatione speculativa, illa verò fertur in illud modo, quo per practicam cogitationem representatur, & à natura ipsa est per se destinata ad promovendam generationem carnalem, Carden. *D. 42. num. 92.*

Notandum secundò idem objectum delectabile posse proponi tam speculativè quàm practicè: id constat experientiâ, uni enim propositum ratione suæ delectabilitatis allicit, & provocat ad commotionem spirituum, secùs alterum, quæ in-

æqualitas provocandi oriri solet aliquando ex diversitate temperamenti carnis, & cæteris partibus major vis provocandi nascitur ex cognitione intensiore, & vivaciore, modoque cognoscendi objectum ut suæ carni, & affectibus delectabilius, & convenientius, idque magis, aut minus pro majore, aut minore claritate, & majore aut minore intensione cognitionis.

83. Unde triplex distingui potest cogitatio practica provocativa venerea: tepida, intensa, vehemens, Carden. *D. 43. num. 9.* tepida est, quæ ex suo modo tepido, & parum advertente ad objectum venereum parum provocat, seu commovet spiritus genitales, talem à culpa lethali excusat Carden. *D. 42. num. 138.* si inde inferas dari parvitatem materiæ in delectatione venerea, nempe quæ sequitur ex levi spirituum commotione, uti arguit Caramuel *Theologia fundamentalis num. 1731. & 1733.* Respondeo minimè inferri uti probat Carden. *D. 45. à num. 190.* de quo infra de peccatis. Solutionem dedi in *tractatu de peccatis num. 69. versus cæterum aliud est.*

Cogitatio practica mediocriter intensa est: quæ vim habet excitandi mediocrem spirituum commotionem, Carden. *D. 42. num. 127.*

Cogitatio practica vehemens est, quæ excitat vehementem, & summam spirituum seminalium commotionem, summa autem commotio illa dicitur, quæ re ipsâ determinat ad pollutionem, Cardenas *D. 43. num. 9.* unde cogitatio venerea vehemens, & expedita nunquam ponitur finè pollutione, secus venerea non vehemens, seu in summo non provoca-

tiva, idem *num. 10.* cogitatio practica vehemens est similis aspectui nuditatis feminae, & ejus libidinosarum actionum, hic autem præsertim diu durans est causa notabiliter, & per se influens, atque determinans ad pollutionem, & graviter provocans ad venerem, & ideo est peccatum lethale, Carden. *num. 118. juncto num. 131.*

Notandum tertio tactus impudicus dividitur sicut cogitatio practica venerea, in tepidum, intensum, & vehementem in summo: hic tertius commovet summè spiritus seminales, & ex his determinat ad pollutionem, Carden. *D. 43. n. 11.*

Notandum quarto fieri posse, ut cogitatio venerea, seu practica, & tactus impudicus sit in vigilia vehementer provocativus spirituum, & tamen tunc non sequi pollutionem, potest enim indirectè resistere patiens tactum talem, quin causetur in summo commotio spirituum e.g. Petrus impudicè tangitur à femina, quia autem timet pollui resistit, quantum potest voluntate mentem divertendo ad objectum tristissimum &c. hic metus diversioque cogitationis ad aliud objectum impedit, ne tactus impudicus ex se graviter provocans ad summam commotionem hic, & nunc pertingat ad tantum gradum, qui est necessarius, ut fiat determinatio ad pollutionem, Cardenas *num. 15. juncto 20.* nihilominus idem tactus impudicus potest determinare in somno ad commotionem spirituum in summo, consequenter ad pollutionem, prout benè ostendit Cardenas à n. 18. quatuor positiones certas inducendo.

84. Prima est, quod tactus vehementer impudicus, aut cogitatio venerea

vehe-

vehemens, aut aspectus fixus nuditatis  
fœminæ &c. commoveat summè spiritus  
seminis, uti docet experientia. Secun-  
da: præfati actus possunt in vigilia indirectè  
impediti avertendo cogitationem ad alia  
objecta tristia, aut voluntate resistente ti-  
more pollutionis, ne in summo commo-  
tionem spirituum causent per notandum  
quartum.

Tertia præfati actus vehementer pro-  
curati, & delectatio externa potentia ta-  
ctivæ percipientis commotos spiritus, &  
carnis alterationem causata à commotis  
spiritibus relinquunt speciem sui impres-  
sam productivam cogitationis imaginativæ  
potenter provocantis, aut saltem deter-  
minant ob sympathiam potentiam inter-  
nam, quæ ad præsentiam dictorum actu-  
um efficiat species impressas internas in  
potentia cognoscitiva interna phantastica,  
& sensitiva: hæc species juxta mensuram  
delectationis externæ, & actuum, à qui-  
bus delectatio dependet, causatur in po-  
tentia sensitiva interna cogitatio imagina-  
tiva magis, aut minùs intensa, nempe  
mediocriter, aut summè provocativa:  
summè quidem intensam speciem mittit  
delectatio externa vehemens, hæc autem  
vim habet causandi cogitationem inter-  
nam summè provocantem. Ratio est evi-  
dens, quia recordamur delectationis præ-  
teritæ sensitivæ, & quidem aliquando  
tam clarè ac vivaciter, ac si præsens foret,  
uti experiuntur illi, qui in somno putant  
se habere commercium cum fœmina.

Quarta positio: dicta species vehe-  
menter intensa relicta in phantasia præfer-  
tim, dum est effectus objecti turpis inter-  
diu potenter imaginati, excitatur in somno  
proximo, nisi aliunde impediatur, excita-

ta producit cogitationem imaginativam  
efficaciter, seu vehementer provocativam  
commotionis spirituum, quæ determinat  
ad pollutionem, ad quam provocavit  
ipse tactus præsens, & turpis prima ima-  
ginatio, uti experientia demonstrat.

85. Ex his evidenter sequitur, quod  
tactus impudicus præsertim confricativus  
verendorum, imaginatio vehemens mo-  
rosa delectatio diuturnior &c. possit in  
somno proximo causare pollutionem (li-  
cèt illum non produxerit in se physicè exi-  
stens ob impedimentum tunc à contrario  
agente interpositum, juxta positionem  
primam) mediante suo physico effectu in  
somno præsentem, videlicet mediante spe-  
cie vehementer intensâ in potentia imagi-  
nativa: unde sicut prima delectatio exter-  
na vehemens, & vehemens prima ima-  
ginatio moraliter, & physicè imputatur  
liberè exercenti, aut patienti actus exter-  
nos, à quibus originatur delectatio pri-  
ma externa sensitiva, ita imputatur mora-  
liter pollutio in somno secuta, quam ne-  
cessè est sequi ad dictos primitivos actus  
vehementer provocantes ad pollutionem  
sine præsentem ullo agente contrario resi-  
stente.

Nunc Respondeo ad argumentum  
Sanchez & Caramuelis *num. 81.* addu-  
ctum; & quidem ad statutum primum  
non omnis cogitatio, aut confabulatio  
turpis apta est causare pollutionem, sed  
sola practica, *per num. 82.* nec omnis  
practica sed duntaxat, quæ summè com-  
moveret spiritus seminales, qualis est sola  
practica vehemens, *per num. 83.* Eodem  
modo non omnis tactus impudicus, aut  
auditio turpior, sed vehemens est apta  
summè commovere spiritus, ac determi-  
nare

nare pollutionem, si tunc non resistit agens contrarium per notandum tertium, & quartum *num. 83.* vehementer ergo, secus remissè, aut mediocriter intensi actus sunt causa efficax pollutionis, dum actu, & in se existunt, nisi tunc agens oppositum impediat.

Ad statutum secundum nego non posse imputari in somno ad culpam ex hoc, quod non fuerit secuta ad presentiam cogitationis diurnæ, ad probationem dico non influere immediatè, seu in se, sed per effectum physicum à se relictum juxta positionem tertiam in *num. 84.* & sequelam *num. 85.*

Ad statutum tertium nego non esse obligationem confitendi secutam in somno pollutionem, aut saltem exprimendi in confessione, quod posuerit causam aut admiserit proximè provocativam pollutionis, hoc ad minimum esse necessarium est certum.

An verò sufficiat est controversum, dependet enim à resolutione questionis generalis utrum effectus in causâ prævisi postea secuti sint exponendi, si hi contingunt independenter ab actuali libertate, uti pollutio in somno, aut ebrietate. Affirmant multi cum *Arriaga de peccatis. D. 45 nu. 13.* Negant multi cum *Lugo de peccatis. D. 16, num. 440.* hos secutus sum in *trakt. de peccatis num. 16. & de Actib. Hum. num. 301.* ex hac ratione, quod Tridentinum solum declarat confitenda esse peccata propriè dicta, sed nullus eventus in somno aut ebrietate patratu est propriè peccatum, sed hujus effectus, nam ad peccatum propriè tale requiritur actualis libertas, quâ caret ebrius, & dormiens,

Quæritur occasione proximè dictorum quæ sint causæ concurrentes ad pollutionem, & in quo hæc sit sita?

Respondeo eam formaliter consistere in fluxu feminis è lumbis decisi: decisionis causa est vehemens commotio feminis: hanc, & delectationem externam non causat efficienter cogitatio practica, imaginativa, sed tum hæc tum delectatio interna corporea (quæ est actus potentia appetitiva corporea de tali objecto venereo) in genere causæ formalis determinant potentiam tactivam, ut hæc, & spiritus carnales inre carnem excitati efficiant delectationem externam, hæc enim est actus proprius potentia tactiva per totum corpus diffusa: quæ sensatio externa delectativa pro objecto suo immediato oblectante potentiam tactivam habet eosdem spiritus commotos, his enim potentia suæ applicatis, eos eorumque motum utpote objectum suum sufficienter applicatum necessariò sentit potentia tactiva. Tota responsio est *Carden. D. 41. & seqq. 2. & D. 42, nu. 95. & seq.* quibus locis cogitationem practicam (idem est de alijs actibus externis impudicis) licet non sit causa efficiens, tamen ad hanc reducit, quia determinat ad spirituum commotionem per sympathicam, quam habet cum hac, connexionem, hoc autem sufficit ut cogitatio practica, & appetitio objecti venerei, seu sensatio interna appetitûs sensitivi sit propriè causa in aestimatione morali, sive prudentum, est enim causalitas per modum antecedentis inferens necessariò consequens, nempe pollutionem, sicut voluntas imperans motum brachij, etsi non efficiat motum, est tamen verè hujus causa, quia determinat per


per imperium suum efficax potentiam brachij motricem per symphatiam, & connexionem ad movendum brachium.

Concludo præsentem §. pulchrâ instantiâ, quâ utitur Cardenas *D. 43. n. 13.* ad paterice ostendendum fieri posse, quod tactus impudicus, aut venerea cogitatio vehemens pollutionem causet in somno, esto in vigilia non causaverit. Petrus ramum ardentem applicat segeti maturæ, & siccæ, sed quia tempore applicationis ex ea parte ventus refflabat, seu flatu suo repellebat flammam à segere, ideo durante

flatu seges non est accensa, ob injectum impedimentum à vento, cujus flatus impediēbat immediatam sufficientem applicationem necessario determinativam ignis ad combustionem, quæ tamen ab eodem igne post cassationem venti, sine ulla causa nova causatur, quia plus non desiderabatur ad combustionem, quàm remotio impedimenti. Instantiam applica nostro casui, & relege *num 83.* notandum quartum &

*num. 85.*

\* \* \*



§. X.

*Deciditur nullitas, aut gravitas malitiæ pollutionis in causa prævisæ.*

87. **C**Ausæ, in quibus prævideri potest pollutio, aliæ sunt illicitæ, aliæ licitæ, vel utiles, vel necessariæ. Ex illicitis quædam spectant ad genus luxuriæ, quædam sunt non ex genere luxuriæ ut nimius esus, aut potus. Illicitæ in genere luxuriæ sunt in classe duplici, ad primam pertinent notabiliter, seu vehementer influentes in pollutionem, ut tactus impudicus confricativus verendorum, aut etiam non confricativus diuturnior exercitus sine necessitate urgente: item aspectus nudæ sceminae non fortuitus (nisi fiat ex gravi necessitate, aut tactus verendorum sceminae medendi causâ, actum talem cohonestat urgens necessitas *per num 41.*) item cogitatio practica venerea vehemens

*R. P. Karch, Diss.*

ob dicta §. superiore: ejusmodi actus luxuriosi sunt causa per se efficax commotionis spirituum, prout liquet ex *n 38.* Ad secundam classē in linea luxuriæ spectat, levis aut jocosus tactus sceminae, curiosus aspectus ejusdem formæ, aut cruris, aut nudi pectoris non fixus (secus ejusdem verendorum) curiosa lectio venereorum, confabulatio amatoria ob vanitatem, aut vanum amorem conciliandum. v. g. *cor meum &c. Sanch. lib 9 de matr. D 45. num. 18.* ad eandem classē spectant etiam actus ab eodem *D 46. num. 10. 11 & 15.* specificati. Ex causis licitis sunt aliæ utiles, aut necessariæ, ut auditio confessionum, studium Castitium, conversatio utilis, aut necessaria

I

cum

cum alio sexu, equitatio, aliúsve situs corporis magis commodus e. g. positio unius cruris pedis supra crus alterius, certum genus cibi, aut potus moderatus, mundatio lanuginis (in hac tamen actione fœminæ cautissimè procedant, nec uti possunt alterius ministerio citra gravem necessitatem) ex quibus aliquando sequitur pollutio. Ad causam necessariam spectat à Medico, aut Chyrurgo facta prudentis fœminæ medicamentorum ex officio applicatio.

88. Regula prima. Caret omni culpâ pollutio prævisâ prater interitionem securura ex causâ aliqua, vel necessaria, vel honesta, vel utili, seu conveniente corpori, aut animæ, ita omnes apud Sanch. *D. 45. num. 4.* cujus doctrinam produxi *num. 79. vers. Præmitto tertio*, ratio regulæ est, quod nullus effectus prævisus in causâ sit voluntarius, ac imputabilis ad culpam, nisi quando causâ ejus potest, & debet vitari, sed quando causâ est necessaria, aut honesta, aut conveniens animæ, vel corpori non debet vitari, aliàs innumeras actiones necessarias, aut utiles obligaremur non ponere per citatum *n. 79.* quo loco etiam alia ratio est adducta, nempe quod prosequenti jus suum medijs licitis pollutio non intenta per accidens sequatur, & ideo non procuratur, sed permittitur. Regula hæc est conformis conclusioni asserta. *num. 41.* Regula est locus etsi causâ evadat illicita mortaliter ex circumstantia non influente in pollutionem per cit. *num. 79.* Sanch. *n. 5.* ut si quis edat carnes die veneris cum prævisione pollutionis.

Ex hac regula sequitur pollutionem prævisâ non intentam catere culpâ pri-

mò in studente casibus de rebus obscânis. Secundò in audiente confessionis de obscânis. Tertio in Chyrurgo, aut Medicis medendi causâ inspicientibus, aut tangentibus partes verecundas &c. Quarto in tactulicito, aut amplexu juxta morem patriæ. Quintò incautâ colloctione, ac necessaria cum fœminis. Sextò prævisâ ex equitatione, alióve commodo situ corporis. Ratio omnium est ratio regulæ.

Quid autem censendum de eo, qui expertus est se semper, aut communiter consentire in pollutionem sequituram ex causâ necessariâ, & utili, ut Parochus ex auditis confessionibus, Chyrurgus ex fœminæ curatione? adhuc nè procedit posita regula? Affirmat *Pal. p. 1. tr. 2. de peccatis D. 2 p 9 § 3. n. 11. & 13.* extendens *num. 12.* ad filium familiâs, quem deobligat à deferenda domo paterna præbente occasionem peccandi, Confessarium tamen liberè audientem cum simili periculo obligat ad cessandum, si sinè aliqua nota honoris, aut famæ potest: periculum enim proximum peccandi nequit adiri, aut retineri sinè urgente necessitate, Sanch. *D. 45. num. 6.* aliàs amaretur.

Ego ex sapius in Theologiâ decursu traditis principijs Respondi præsertim *in tr. de pœnit dictato anno 1707. à num. 273.* non excusari à peccato mortali ullum, qui adit, aut retinet periculum proximum peccandi, si est in ejus potestate morali illud non adire, aut aditum deferere, ut infra de peccatis DEO volente fufius exponam: excusari verò, si est moralis necessitas adeundi, aut retinendi: proinde rectè pro tunc procedit affirmativa sententia, ut si fœmina periclitetur de vita

vita, nisi Chyrurgus medeatur nullusque alius sit qui posset mederi. Idem dico de Parocho non potente habere vicarium bonum; Urget enim utrumquè necessitas gravis Theologica, nempe praeceptum non solum charitatis sed etiam Justitiae, si Chyrurgus est stipendiatus, Cardenas in *Crisi Theolog. D. 18. num. 205.* quia in concursu duorum praeceptorum compossibilitium utrumque est implendum, sed hic concurrunt duo praecepta, unum juvandi proximum corporaliter, aut spiritualiter, & praeceptum vitandi periculum formale peccandi, & utrumquè impleri potest, primum à Chyrurgo medendo feminae, à Parocho audiendo poenitentem, secundum extenuando periculum per firmum propositum, invocatumquè divinum auxilium, & sic reddendo ex periculo proximo non proximum, seu remotum.

90. Dixi si nullus alius adsit, nam si alius posset mederi, & Chyrurgus in casu dato non esset obligatus mederi ex Justitia, teneretur desistere, si conscius suae fragilitatis est expertus, quòd etsi haecenus conatus sit firmum habere propositum non peccandi, nihilominus lapsus sit; signum enim est, quod ob vehementiam passionis propositum sit inefficax ad tollendum periculum formale, seu vehementer inclinans ad lapsum, ut deinceps non amplius vehementer inclinet, id est, ut non frequenter ad lapsum pertrahat, cum ergo sit obligatio id periculum extenuandi, sive reddendi ex proximo remotum, idque praestare nequeat per actus proprios, debet deserere curam medendi, si obligetur curare ex charitate sola, nisi officium hoc esset illi moraliter necessarium ad vitae sustentationem, tunc enim foret illi moraliter impossibile, de-

sistere à cura: uti etiam si esset stipendiatus: tunc enim Justitiae praeceptum facit, illi moraliter impossibilem desistentiam, nisi etiam hoc in casu posset conducere alium aequè peritum medendi: tunc enim posset moraliter deserere occasionem extrinsecam mortaliter peccandi, & ideo tenetur.

Idem dico de Parocho habente media subrogandi sibi bonum Vicarium. Vide *nu. 41.* in fine. Scrupulus esse potest, quanta debeat esse necessitas, ut quis se licite exponat periculo pollutionis secururae ex causa licitae. Respondet Granadus apud Rosner de *Actib. Hum. fol. 108. verb. inf. decimo.* non postulari valde urgentem, si enim viri timorati exponerentur summè scrupulis, & ob anxietates retraherentur à modo, & officio agendi humano in communitate. Unde firmiter statuens non labi in istud vitium, non debet anxie vitare humanum convictum, etsi ex aliquibus verbis affabilibus, sed modestis praevideat secururam pollutionem.

91. Magis dubitatur de causis nec necessarijs, nec utilibus, an illas ponenti malitia pollutionis praevisae, & non intentae imputetur, ad culpam mortalem etiam secluso periculo consentus. P. Sanchez *cit. D. 45. à num. 10.* triplicem refert sententiam. Prima simpliciter affirmat, etsi causa de se sit licita. Secunda consentit primae de omni causa illicita etiam veniali. Tertia metitur gravitatem malitiae pollutionis ex gravitate culpae causae sive haec spectet ad genus luxuriae, sive non, hanc multi amplectuntur, eamquè videtur tradidisse *D. Th. 2. 2. q. 154. art. 6.*

*Corp.* Ut solvatur dubitatio sit sequens regula.

Regula secunda: nulla actio mala etiam mortalis non spectans ad genus luxuriae ultra malitiam propriam mortalem, aut venialem est mortalis mortalitate malitiae pollutionis, sed venialis. Nec pollutio praevisa in causa leviter mala in genere luxuriae excedit culpae levitatem contra naturam, at si praevideatur in causa turpi, seu in genere luxuriae mortali notabiliter influente in pollutionem, semper imputatur ad mortale peccatum contra naturam, ita cit. Sanch. *num.* 15 contra tres allatas sententias. Regula tres continet partes, quae probandae sunt.

Probatur pars prima: Non potest pollutio in esse pollutionis imputari ad culpam mortalem, nisi soli illi, qui verè, & moraliter est causa illius, sed exercens actionem etiam mortaliter malam extra genus luxuriae nequit dici verè, & moraliter causa pollutionis secuta ex tali actione, haec enim se habet per accidens respectu pollutionis, ergo etiam exercens actionem per accidens se habet respectu illius, sed causa per accidens non est, causa vera, & moralis pollutionis, ergo exercenti talem actionem pollutio non potest imputari ad culpam mortalem. Unde pollutio tunc est effectus praecipue non virtutis generativae, sed virtutis naturalis expulsiuae per *num.* 78. Sanch. *num.* 15. Soarez, Vasq. 1. 2. *D.* 115. *num.* 9.

Essetamen peccatum veniale contra castitatem sequitur ex opinione Sanch. *num.* 21, ubi ad asserit de secuta etiam ex causis licitis, dum nulla utilitas cogit ad earum positionem.

Infero cibum, aut potum immoderatum etiam usque ad ebrietatem non habere specialem malitiam mortalem pollutionis praevisa non intentae propter rationem adductam: quae id ipsum ostendit, etsi dictus in vitio gulae excessus esset mortalis in genere luxuriae ratione finis ab operante intenti, ut si largius potaret, aut calida comederet, ut esset potentior ad fornicandum, aut desideraret copulam cessante delectatione in hac cogitata, Sanch. *num.* 16. *juncto.* *num.* 17 quia nec desiderium copulae, nec finis intentus cooperatur ad pollutionem,

92. Probatur secunda pars: de causis leviter malis in genere luxuriae etsi enim ejusmodi actus sint ex se ordinati ad pollutionem, proinde sint causa per se, non tamen efficax, sed inefficax, per *num.* 39. atque adeo leviter duntaxat influens, estque effectus potius causa naturalis, seu virtutis expulsiuae, quam generativae per *num.* 78. cum non fiat mediante appetitu. Sanch. *n.* 18 tenetque expressè Cajet. 2. 2. *q.* 64. *art.* 8. *col.* 3. paulò ante *vers.* & confirmatur Sa verbo luxuria *vers.* si pollutionis eamque debent tueri DD. relati pro tertiâ sententiâ *num.* 91. qui gravitatem malitiae pollutionis desumunt ex quantitate culpae causae.

Amplianda est haec pars ad casum, quo causae in genere luxuriae in se leves evaderent mortales ratione desiderij copulae, vel habendi tactus impudicos; adhuc enim non essent mortales mortalitate pollutionis, quia in hanc dictum desiderium notabiliter non influunt, nisi quis notabiliter persisteret in tali desiderio, & delectatione, quae vehementer commoveat spiritus, & appetitum Sanch. *n.* 20.

Qui

Qui autem sint actus in lineâ luxuriæ leves vide *nu. 87.* quibus accenset Sanch. *D. 46. nu. 10. 11. 15.* amplexus, oscula, tactus pudendorum supra vestes fœminæ, manumquæ, pedem ejus premere, vellicare, digitos intorquere ex vanitate, vel levitate, aliavè causâ sumili, etsi inde confurgat delectatio non quæsita, eaque reprimatur. Etiam *num. 13.* à mortali liberat affectuosè, magnaquæ cum suavitate exosculantes molles infantium carnes, id enim non fit ex delectatione venercâ, sed ex amore tenero, & suavi infantilis ætatis.

93. Probatur pars tertia de causis in lineâ luxuriæ notabiliter influentibus cum Sanch. *D. 45. num. 15.* eamque nemo potest negare. Omnes jure naturali obligati sub mortali ad non procurandam pollutionem obligantur eodem jure sub pari culpa ad non procurandam causam per se efficacem pollutionis, sed omnes actus in genere luxuriæ mortales notabiliter in pollutionem influentes sunt causa per se efficax pollutionis, ergo omnes jure naturali sub culpa mortali tenentur ad non procurandos tales actus.

Vide *num. 41. & 88.* ex quibus locis constat aliquos actus ex natura sua, & per se efficaces aptosque notabiliter influere in pollutionem, nihilominus ex necessitate gravi exerceri posse secluso periculo consensûs; verum tunc nullum hi continent culpam in genere luxuriæ, ut aspectus, & tactus, verendorum fœminæ ex fine medendi, sunt verò mortales seclusâ hac necessitate. Notanter dixi *notabiliter influentes*, quia actus etiam luxuriosi ex se mortales non omnes nota-

biliter influunt per *num. 92.* ut enim notabiliter influant, necesse est illos esse vehementer seu in summo provocativos spirituum seminalium, secus si gradu remisso, aut mediocri per *nu. 85. vers. Nunc respondeo. Vide à n. 82.*

Unde cum desiderium copulæ, consensus in delectationem veneream, morosa delectatio non diu durans non sint actus efficaciter in summo commoventes spiritus, si præter opinionem sequatur pollutio, hæc nequit imputari Sanch. *num. 22.*

94. Ex regula prima, & secunda declarata deducitur tertia utramque complectens, quam plures DD. sententiæ tertiæ *num. 91.* relata apud Sanch. *nu. 12.* ex S. Th. tradunt; talis est pollutio in bonitate, & malitia, qualis est causa, in quâ prævidetur præter intentionem, & sine periculo consensûs.

Vera enim est de prævifa in causa ad luxuriam spectante, quæ, si est mortalis, & notabiliter influens, pollutio fit mortalis, venialis verò in causa turpi veniali, aut mortali non influente notabiliter, uti etiam prævifa in causa non luxuriosa sive mortali, sive veniali. Si demum causa est in felicitate, sed ad venerem pertinens, atquæ adeò efficax ad pollutionem excitandam, ut prævifa in tali pollutio non intenta sit licita, debet adesse urgens necessitas ponendi causam, ita Sanch. *D. 45. num. 26* qui numero sequenti concludit pollutionem indirectè, sive in causa volitam esse verè peccatum mortale, non interius nomine sui, sed exterius, & ratione causæ imputabile, non tamen addere novam, dum contingit, mali-

siam malitiæ, quam habet volitio causæ: quæ causa si per pœnitentiam retractetur antè secutam pollutionem, hæc subsecuta

caret omni culpâ, quia retractatâ causâ evadit pollutio involuntaria Sanch. n. 28.



## §. XI.

*Proponuntur Objectiones, & solvuntur.*

95. **P**RO primâ sententiâ in *num.* 91. plura adducit argumenta Sanch. *cit. D.* 45. n. 10. eâque diluit n. 32.

Argumentum primum. Causa etiã licita, si ex hac prævidetur secutum homicidium, aut fornicatio, est vitanda sub mortali, ergo etiã sub mortali, est vitanda pollutio, prævisã etiã in causa licita, & à fortiori in venerea, etsi veniali.

Respondeo primò, ergo etiã vitanda est causa honesta ob pollutionem in ea prævisã, quia ob homicidium prævisum in tali e. g. exaudienta confessione, hæc est sub mortali pro tunc omittenda. Probat igitur nimium.

Respondeo secundò, negando consequentiam, disparitas est, quod homicidium causet damnum irreparabile, & fornicationis prohibitio strictius obliget, etsi pollutio sit peior fornicatione, nam hæc non sequitur, nisi mediã potentiã imaginativã, & appetitu sensitivo, proinde, ex causis naturã suã ordinatis ad coitum, secus expulsio seminis, seu pollutio prævisã in causis licitis, aut venereis leviter illicitis &c. ergo est major obligatio vitandæ fornicationem, quam pollutionem, ut

fufius probat Sanch. *num.* 14. *vide num.* 43. & 78.

96. Argumentum secundum: abscindens sibi partem corporis extra urgentem necessitatem peccat mortaliter, ergo etiã est mortalis effusio seminis, nisi urgeat gravis necessitas, consequentia probatur, tum quia semen, quamdiu est intra viscera, & pars hominis: tum quia est strictior obligatio non prodigendi seminis, quam conservandi manum, hujus enim est aliquando licita directã amputatio, nunquam autem fas est directè prodigere semen per *num.* 80.

Respondeo nego consequentiam. disparitas est, quoad semen sit ex partibus, quæ perditæ per nutritionem possunt recuperari, secus reliquæ partes e. g. manus, aut pes, idcirco sine causâ urgente non possunt abscindi. Ad probationem primam consequentiæ dico esse partem hominis, sed facilè recuperabilem, si amittitur. Ad secundam Respondeo illam verificari, quando semen prodigitur ex intentione, secus si præter intentionem.

97. Argumentum tertium. Usus rerum Homini à natura non aliter concessus est, quam ad finem ab ipsa natura institutum,

tatum, ut patet in membris corporis, quæ non possunt exponi, nisi aliud suadeat urgens necessitas, uti proprium, aut Reipublicæ majus bonum, sed semen natura instituit ad bonum generationis in matrimonio, ergo est contra naturam institutum, seu ordinem, atque adeo mortale ejus effusionem permittere absque urgente necessitate. Respondeo datâ majori, & minore distinguo consequens, est contra naturam institutum seminis effusionem permittere per causas licitas nego consequentiam, nè fiat effusio voluntariè per causas notabiliter influentes concedo consequentiam, tunc enim est mortale, secus dum procedit ex causis per accidens.

98. Argumentum quartum, qui vult antecedens, vult etiam consequens, & qui vult causam vult etiam effectum *L. 1. §. 1. ff. si usus fructus petatur*, ergo volens causam cum pravisione pollutionis, vult hanc. Respondeo distinguo antecedens, qui vult antecedens ut causam, vult etiam consequens, vel effectum, quando tenetur vitare antecedens vel causam concedo antecedens, quando non tenetur vitare antecedens, vel causam nego antecedens. Distinguo pariter consequens, volens causam pollutionis vult etiam pollutionem nempe indirectè, quando tenetur causam ejus vitare concedo consequentiam, quando non tenetur causam vitare nego consequentiam. Deinde quando est obligatio vitandi causam, sed non nisi levis titulo pollutionis, adhuc non censetur esse voluntaria voluntarierate morali in se, sed indirectâ, seu voluntarierate causâ sed hæc non est voluntaria voluntarierate plus quam veniali, ergo nec pollutio pravisa.

Quæ objici possunt contra causas per accidens pollutionis, solutio eorum facile colligi potest. à *num. 56.*

99. Argumentum quintum. In præceptis reliquis etiam humanis non excusat quævis causa, sed necessaria, aut valde utilis, ergo minus excusatur ponens causam pollutionis, cum hæc sit contra jus naturale, & intrinsecè mala, nisi urgeat necessitas, aut valde magna utilitas. Argumentum hoc probat nimium: nam equitatio; studium, auditio confessio-num non excusat ab auditione missæ, aut recitatione breviarij, sed equitans, studens &c. peccat mortaliter prævicens inde securam missæ omissionem die festo, ergo etiam prævicens ex equitatione &c. secutarum pollutionem equitando peccat mortaliter contra omnes teste Sanch *num. 32. ad 8.* Respondeo igitur reliqua præcepta strictius obligare, quoad hoc secundum omnes teste citato Sanch. quàm præceptum pollutionis, hæc enim est consequens ad notus carnales: hi motus ob naturam infirmitatem, & concupiscentiam facillimè insurgunt, & ideo majus voluntarium requiritur, non tanquam fundamentum generis moris, & malitiæ, sed tanquam circumstantia necessaria, ut sint mortales, aliàs difficillimum esset humanum commercium sine peccato mortali: è contra peccata contra reliqua præcepta positiva non habent hanc facilitatem ex natura rei Vasq. 1. 2. *D. 108. c. 3. & D. 115. num. 7.* & cum illo tradit Sanch, *num. 14.* quod pollutio secutura vi nature non sit peccatum: sed ut est actus potentia generativa, & ideo non est peccatum mortale universim ponete causam quamcunque cū præscientia secutura pollutionis.

100. Argumentum sextum motus carnis in causa prævisi sunt sub gravi obligatione vitandi, aut si indeliberatè sint excitati, sunt positivè reprimendi, sed non aliundè, nisi ob periculum pollutionis, ergo causa motus carnis, quales sunt omnes spectantes ad genus luxuriæ &c. sunt sub gravi obligatione ob periculum pollutionis vitandæ.

Obiectio tangit duas præsertim quæstiones. Prima est, an & quale sit peccatum apponere causam, in qua prævidentur, motus delectationis veneræ, quales duntaxat sunt illi, qui sentiuntur in partibus verendis, aut harum proximis.

Secunda an sit peccatum mortale motus ejusmodi insurgentes non reprimere positivè, sed se habere negativè, id est, nec consentiendo, nec reprimendo motus involuntariè excitatos dum possunt reprimi, vel impediri.

Primæ quæstioni ut satisfiat, supponendum est motum concupiscentiæ, seu sensualitatis accipi, vel pro fomite peccati, vel actuali commotione carnis. Concupiscentia accepta primo modo dicitur concupiscentia in actu primo, estque ipsa inclinatio in peccatum. Secundo modo est ipse actus secundus; quo caro se commoveret, & concupiscit objectum delectabile.

Certum est quod concupiscentia in actu primo non sit peccatum; est de fide contra Hæreticos nostri temporis dicentes peccatum originale nihil esse aliud, quam concupiscentiam rationi rebellem, quæ cum semper etiam in justis maneat; ajunt peccatum originale nunquam deleri, sed tegi, quem errorem damnat Apost. ad

Rom. 8. v. 5. ubi dicitur: *nihil ergo nunc damnationis* (id est, dignum damnatione) *ijs qui sunt in Christo JESU oapite per baptismum, renati*: idcirco Trident. Sess. 5. in Decret. de peccato originali, dictam, *concupiscentiam, quam aliquando Apostolus* (nempe ad Rom. 7.) *peccatum appellat, declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinatur, si quis autem contrarium senserit, anathema sit.*

Certum est secundò concupiscentiam in actu secundo, seu actualem carnis motum prævertentem omnem usum rationis carere omni culpâ etiam veniali contra sectarios apud Vasquez D. 106. defectu libertatis, est enim supra humanam industriam omnes motus prævenire, unde tales non sunt ad culpam imputabiles, *concupiscentia enim non consentibus nocere non valet*, sunt verba citati Trident. circa finem.

Hujusmodi motus prævenientes in nobis omnem nostram libertatem vocantur à Theologis motus primo primi; si excitentur motus sive sensuales, seu veneri, sive rationales in voluntate circa objectum honestum, aut turpe ab intellectu propositum cum advertentia imperfecta, & consensu sufficiente ad veniale dicuntur motus secundò primi; hos, sive in se, sive in causa non posse esse mortale peccatum est certum, quia deficit plena deliberatio, sive advertentia, & consultatio. Imò carent omni culpa, quando non est actualis expressâ cognitio ipsorum malitiæ, aut saltem aliqua dubitatio, aut scrupulus.

Vasq.

Vasq. *D. 107. c. 3.* quia finè tali cogitatione motus non sunt voliti, quatenùs sunt peccatum. Demum motus dependenter à plena advertentia, & consensu sufficiente ad mortale appellantur motus secundò secundi.

Consensus voluntatis in motum prævum carnis est duplex, directus, & indirectus per *num. 14.* consentit directè, quandò intendit objectum illud oblectans, in quod fertur appetitus sensitivus, vel quando vult, ut in sensualitate seu carne sit motus sensualitatis. Indirectè consentit, quandò directè vult causam, ex qua prævideretur motus secutus.

Consensus in motus carnales tam directus, quàm indirectus consequens ad imperfectam advertentiam nequit excedere venialem culpam. E contra consensus directus deliberatus in præfatos motus propter delectationem extra conjugium semper est mortalis. His suppositis.

101. Respondeo ad quæsitum primum motum initio *num. 100.* positionem causæ necessariæ, honestæ, aut utilis cum prævisa spirituum seminalium commotione etiam vehementi secluso periculo consensus in pollutionem, aut delectationem veneream spiritus commotos comitantem, carere omni culpâ. Ratio hujus petenda est ex *num. 88.* si enim pollutio prævisa in tali causâ non imputeretur, multò minùs commotio spirituum.

Eadem commotio spirituum prævisa in causâ veniali turpi non transfundit, nisi culpam levem in volitionem ponentis causam, dummodo absit periculum consensus in delectationem veneream, aut pollutionem. Hæc assertio est probata *num. 92.* eamque tuctur Sporer. *p. 1.*

*R. P. Karch, Diss.*

*Theolog. Mor. c. 6. num. 13.* contra multos damnantes reatùs mortalis.

Demum si causa in genere luxuriæ multum provocet, excitatque spiritus, & appetitum ad commotionem, est mortale causam apponere, ut oscula lasciva, tactus inhonestos, aspectum fixum venerorum scemina &c. de quibus *num. 87.* conclusio ista est certa per *num. 93.* et si enim ejusmodi motus spirituum notabilis sit volitus solùm indirectè, non est excusabilis à mortali, cum voluntarium etiam indirectum sufficiat ad mortale, quoties voluntarium directum causæ est mortale, nemò enim à mortali excusat pollutionem etiam non intentam prævisam in causa notabiliter influente, quoties hæc imputatur ad reatum mortalem; secùs dic, si causa turpis non influat notabiliter per *num. 92.* Sporer cit. Hæc quo ad quæstionem primam.

102. Circa quæstionem secundam, quam *num. 100.* sub principium propositi est duplex sententia: prior obligat sub mortali ad positivam repressionem. Vasq. *1. 2. D. 108. Less. lib. 4. c. 3. nu. 117.* Rhodes *de peccatis D. 1. q. 3. sec. 2. §. 3. S. Th. 1. 2. q. 74. art. 6. Corp.* quia negligens positivam repressionem e. g. mentem convertendo ad alia cogitanda &c. censetur æquivalenter seu in morali æstimatione consentire, & quidem secundum aliquos etiam secluso periculo consensus apud Sanch. *lib. 1. Mor. c. 2. nu. 12.* siquidem delectatio venerea tunc præsens et si aliunde exitata est illicita contra castitatem, & quidem mortalis, si quis in eam expressè consentit, seu approbat, ergo etiam est mortalis consensus æquivalens, seu interpretativus ab aliquibus

K

no-

nominatus, aliàs posset quis liberè manere in magna delectatione sine omni peccato ut argumentatur Vasq. negativè se habendo, etsi motus excitarentur ab alio saltem ab ebrio, vel amente, quia uti arguit Rhodes, cum hic non peccaret, nec patiens motus, & delectationem cooperaretur alieno peccato. Extendit Vasquez ad eum, cui talis motus excitatus displicet, seu qui reprobatur delectationem veneream contra Laym. *lib. 1. tr. 3. c. 6. n. 8.*

Posterior sententia negat Marat. de peccatis *D. 7. S. 8.* Herina de peccatis *D. 5. num. 18.* Cajetanus. Navarus, Tolet. & alij quorum sententiam censet probabilem Sanch. *num. 13.* priorem verò in praxi semper esse veram post plenam advertentiam.

Respondeo cum distinctione sententiam priorem esse sustinendam in ijs, qui sunt assueti venereis ob periculum consensus (in quod totam malitiam communiter refundit posterior sententia) in his enim displicentia serua vix elici potest tolerando motus oblectantes propter habitum, igitur est necessaria repressio positiva. E contra in non assuetis puto sententiam Laym. esse practicè tutam, nego enim habentem expressam displicentiam motus, & delectationis venereæ consentire interpretativè, si per consensum interpretativum intelligas omissionem positivæ repressiois motuum, quia etsi posset reprimere non tenetur sub mortali, sed solum sub veniali, quando nulla iusta causa excusat, ut si quis curiosè studeat arti medicæ, aut anatomice, si ei displicet delectatio. Less. *num. 118.* probabiliter excusans à mortali, eò quod ~~etsi causa non sit iusta,~~ habet tamen aliquid

commodi aut utilitatis studium, etsi curiosum, sunt enim naturâ suâ inordinati, nec determinantes, ad pollutionem, nisi summè commoveant spiritus per *num. 83.* ex his satisfit argumento Sexto *num. 100.* proposito.

Respondeo igitur ad primùm distinguendo motus carnis vehementes sunt sub obligatione mortali vitandi, consequenter etiam eorundem causa efficaciter in illos influens concedo, motus carnis non vehementes sunt sub obligatione ingravi vitandi in causa non influente notabiliter nego.

Ad secundum constat ex numero præfenti, quando motibus aliunde excitatis sit sub gravi obligatione positivè resistendum, quando non: quando sunt vehementes, censeo universaliter esse resistendum positivè, cum omnes teneantur impedire pollutionem non tantum in se, sed etiam in causa, notabiliter ex naturâ suâ eam provocante (nisi causa sit necessaria, aut honesta) nimirum illam non ponendo, aut si posita est aliunde hanc removendo si potest removeri ad vitandum periculum consensus.

Argumentum septimum tactus impudici ex se inter conjugatos non sunt peccata mortalia, sunt tamen mortalia exerciti cum periculo pollutionis prævisæ. Sanch. *D. 45 num. 39.* Item sponsis de futuro licent oscula, & tactus non impudici ex communi opinione approbata à Sanch. *D. 46. num. 47.* attamen evadunt mortales si imminet periculum pollutionis, uti tradit idem *n. 49.* ergo multò magis ob pollutionis periculum semper fiunt mortales actus in genere luxuriæ veniales. Ut argumentum hoc diluatur sequens resolvenda est questio.



## §. XII.

An, & qui actus conjugatis, & sponsis de futuro atque omnino solutis sint illiciti ob prævium in ijs pollutionis aut alterius delectationis periculum?

103. **R**espondeo ad primam paragraphi partem ex tractatu Canonico de matr. a num. 413. & quidem primò cum Sanch. lib. 9. de matr. D. 45. num. 35. aspectus, tactusque impudicos, turpiloquia, cogitationes practicas venereas, similésque morosas delectationes esse mortales conjugatis cum periculo pollutionis, ità omnes teste Sanch. nisi sint eo in loco, ubi uti possunt copulà ad impediendam pollutionem. Ratio, quia hi actus ex natura sua sunt ordinati ad copulam, ergo ubi non est spes ejus exercenda, sunt mortaliter illiciti cum periculo effundendi seminis, cujus effusio non est illis licita, nisi relatè ad copulam.

Respondeo secundò tactus conjugales etiam in partibus inhonestis ad copulam preparatorij licitè exercentur à conjugibus, ità omnes apud Gobat tr. 10. num. 665. quia copula est illis licita, ergo etiam actus preparatorij etsi impudici, sicut tamen copula exercita ob majorem voluptatem est illis culpa venialis, ità etiam ejusmodi tactus adhibiti voluptatis majoris gratià. Sanchez D. 44. n. 9.

Respondeo teritiò eosdem actus conjugibus non imputari in peccatum lethale assumptos ob solam delectationem absque animo perveniendi ad copulam, Sanch.

num. 12. Gobat. num. 656. Rationem dedi in cit. tr. num. 117. quod voluptas secundum se non sit illicita, sed indifferens, proinde nisi in eà statuatur finis ultimus, non est mortalis.

104. Limita hoc tertium responsum ut actus impudici non excedant limites naturalis honestatis, uti contingit, quando proximi sunt vitio contra naturam, tales enim sunt illis mortaliter illiciti, sicut Sodomitica copula, ad quam referuntur, & quidem probabiliùs etsi absit animus sodomiticè consumandi, ut si vir vas suum in superficie vasis præposteri fœminæ perfricaret, aut voluptatis gratia digitum intruderet in vas præposteri fœminæ, aut in os, ita Pont. lib. 10. de Matr. c. 11. num. 5. docens primum, Tamb. lib. 7. Decal. c. 3. §. 5. num. 32. tradens primum, & secundum, Fagundes to. 2 in Decal. lib. 6. c. 3. num. 19. docet tertium, quod aliqui apud Dianam p. 6. tr. 7. Resol. 7. §. querendum, irrumationem appellant, contra Sanch. lib. 9. de matr. D. 17. num. 5 excusantem à mortali, & tertium, quæ duo puncta in Edit. Lugdun. 1621. in aliquibus Codicibus sunt deleta. Ratio primi, & secundi est, quod talis actio videatur fieri ex effectu ad vas præposteri, noc-

sequenter ad copulam sodomiticam, & ideo semper sit mortalis saltem in affectu. Ratio tertij, quod videatur specialis deordinatio contra rectam rationem excedens adeò alias deordinationes, ut constituenda sit in nova specie innominata, verùm alij ut dixi *irrumationem* vocant. Hoc tertium amplectitur etiam Tamb. *num.* 33. postea tamen *c.* 7. §. 1. *num.* 3. re ipsâ amplectitur opinionem Sanch. nam ibi ex Fill. *tr.* 30. *c.* 8. *num.* 155. docet, quod se polluens inter brachia, coxendices, os, &c. feminae aut viri, cum id regulariter contingat ex affectu personae, seu concubitu cum illa, sit qualitas personae exponenda, quia non est pura pollutio, sed inchoata copula; negat tamen necessitatem exponendi peculiare partes corporis secluso affectu ad vas praeposterum, quia inquit se materialiter habent, & quod in una parte sentiatur maior delectatio, quàm in alijs, non facit speciem novam. Unde cum conjugibus non sit mortalis delectatio venerea secluso vase praepostero, sequitur marito immittenti vas suum in os uxoris ob delectationem sine periculo pollutionis non imputari ad mortale, & ita etiam docet Pal. *de matr.* *D.* 3. *p.* 4. §. 2. *num.* 6. dans disparitatem inter perfricationem ad vas praeposterum, & immissionem in os, quod prior referatur naturâ suâ ad sodomiam, secus tactus oris, aut alterius partis feminae, & ideo non sit inchoata sodomia. Hanc partem secutus sum in *cit. tr. de matr.* *num.* 397.

105. Respondeo quartò tactus impudicos, seu verendorum cum periculo pollutionis in se, vel in altero conjugem inpetente esse ordinariè peccata mortalia,

nisi in tali loco eos petat, in quo per copulam facillè possit impediri. Sanch. *D.* 45. *num.* 35. quia etiam conjugibus pollutio est mortaliter illicita contra naturam, estque simul species adulterij.

An etiam conjux eosdem reddens peccet mortaliter controversum est. Negat Sanch. *num.* 34. quia reddens dat operam rei licitae, & debitae ex justitia. Affirmat Pal. §. 2. *num.* 2. quia inquit interveniente pollutionis periculo conjux non habet jus petendi, & sic ruit ratio Sanchezij. Uterque probabiliter, in eo tamen consentientes, quod etiam reddi non possint tales, qui sint proxima via ad pollutionem, ut si vir petat ab uxore, ut virilia contrectet, & moveat, aut si vir velit in vas naturale feminae digitum immittere, & quasi copulam eo exercere, quia sunt inchoata pollutio, nisi ut dictum hac facillè sit impedibilis per copulam.

Quid sentiendum quando maritus ob senium impotens ad copulam agit rem tactibus cum uxore juvene, & calida virum amante, exinde uxor, polluitur semel, bis, ter, quid remedij dandum anxiae uxori. Respondit in contingentiam facti Gobat *tr.* 10. *num.* 669. si ordinariè practicentur sine pollutione, esse excusabiles, etsi quandoque praeter utriusque intentionem contingat pollutio, talesque tactus non videntur fieri ex mera libidine, sed ad fovendum mutuam amorem, alias facillè refrigerentem in imparibus aetate conjugibus.

Respondeo quintò, amplexus, oscula, alijque tactus inter conjuges ad fovendum mutuam amorem exerceri soliti non evadunt illiciti mortaliter propter

pter prævisum in ijs pollutionis periculum, Sanch. *num.* 36. Tamb. *cit. c. 3. §. 5. num.* 57. contra Præposit. Et alios apud Dian. *p. 6. tr. 7. Resol. 65.* Damnantes mortaliter. Ratio quia sufficienter est necessitas nempe ut mutuus indicetur amor, & foveatur.

Imò ob hanc causam etiam à veniali eos excusat. Tamb.

106. Respondeo sexto conjux se ipsam libidinose, seu ob captandam voluptatem tangens, aut morsè se oblectans in cogitatione copulæ conjugalis, sinè pollutionis periculo probabilius non peccat mortaliter Sanch. *D. 44. num.* 3. 4. & 16. & *D. 45. num.* 37. & 38. ut enim hujusmodi non sint mortales non est necesse, ut fiant cum conjuge, sed quod sint conjugati, nec referantur ad copulam cum aliena, jam enim se extendunt ad copulam licitam. Est contra Joannem Sanch. *in select. D. 21. num.* 26. Dian. *p. 2. tr. 17. Res. 37. & p. 3. tr. 4. Res. 215, & p. 4. tr. 4. Res. 137. & p. 9. tr. 8. Res. 31. & 44.* arguentes culpæ lethalis, quia est intrinsecè malum uti proprio corpore ad explendam libidinem secum, hæc ratio facit etiam hanc sententiam probabilem, Tamburino citato §. 5. *num.* 45.

Essè tamen culpam levem nemo negat, caret enim tam tactus, quam venera delectatio debito fine, qui est copula, seu bonum prolis, ad quod natura ordinavit, Sanch. *cit. D. 44. num.* 5. ostendens *num.* 30. defectum dicti finis debiti non posse excedere levitatem culpæ, honestat enim eos matrimonium, sicut facit honestas tactus extra copulam exercitos.

107. Nunc ad secundam partem §. descendo, in qua quaritur, utrum sponsis de futuro sint actus, & quales illiciti ob prævisum in ijs periculum pollutionis. Respondeo primò tanquam certum de sponsis conditionatis, quod his omnes actus solutis prohibiti sint inhonesti, quia ante eventum conditionis non sunt sponsi, sed omninò soluti. Tamb. *cit. c. 3. §. 5. num.* 62. ex Sanch. *lib. 5. matr. D. 5. à num.* 38.

Respondeo secundò oscula, & tactus impudicos esse mortales sponsis etiam secluso periculo pollutionis, quia actus proximiores copulæ non sunt concessi, nisi ijs, quibus concessa est copula. Sanch. *lib. 9. D. 46. n. 51.*

Respondeo tertio sponsis de futuro, amplexus, oscula, tactusque pudici, locutiones amatoriarum, aspectus affabiles, secluso periculo pollutionis sunt liciti in signum benevolentiarum, est enim hic finis honestus, Sanch. *à num.* 47. contra aliquos apud eundem *num.* 46. quorum argumenta enervat *num.* 55. quia ut rectè arguit Tamb. *num.* 61. sponsalia dant jus ad talia mutua signa, ad conciliandum futurum matrimonium, cum sint quædam preparatio ad illud, quale jus non præbent ad actus impudicos, utpote ordinatos ad culpam.

108. Dubitatur primò an si absit periculum consensus præfata signa amoris possint practicari à sponsis cum prævisò periculo pollutionis sinè periculo consensus. Negativam tenui in tr. Canonistico de matr. *num.* 99 cum Sanch. *num.* 49. dante disparitatem inter sponsos, & conjuges quoad ejusmodi signa benevolentiarum, quæ his licent etiam cum dicto periculo,

quod major sit necessitas signorum benevolentia inter conjuges, quam inter sponfos. Excipit casum in quo, nisi inter sponfos fiant amplexus, reputaretur austeritas, aut inurbanitas; consentit Tamb. sine exceptione. Affirmat Perez de matr. *D. 8. sec. 6. num. 5.* quia actus tales ex sine dicto sunt honesti, ergo horum exercitium est licitum etiam cum illo periculo, modo absit consensus periculum, conformiter Regulae firmatae *num. 88.* & saltem non esse peccatum mortale sequitur ex secunda parte Regulae secundae *num. 92.* quia similia signa, etsi sint in linea luxuriae non tamen notabiliter influunt in commotionem spirituum, à quibus dependet pollutio. Ob hæc scribit Gobat. *tr. 10. num. 672.* non raro cogi confessarium seque non semel coactum in praxi sequi Perezium, nisi sponfos tales dimittere velit inabolutos, quia vix ijs persuadebit peccatum mortale, aut si agnoscerent esse mortale, ægre proponerent emendationem. Judico hanc opinionem esse probabilem.

109. Dubitatur secundò an præfacti actus non impudici liceant sponfis ob delectationem libidinosam, seu veneream. Affirmat Sanchez *num. 48.* (si non sponfis prohibitos esse sub mortali hos tactus ex isto fine, idem sentit *num. 7.* contra aliquos) ubi vocat delectationem sensitivam per quam illum intelligere veneream, certum est ex *num. 5.* ubi explicans sensitivam ait esse illam, quæ ex commotione spirituum sentitur in carne. Fundat se in hoc quod sponsalia sint inchoatum matrimonium, sed hoc facit licitam copulam, ergo illa faciunt licitam delectationem veneream, seu inchoatam copulam,

Respondeo negativè cum Perez *num. 7.* Gobat. *num. 671.* quia quibus est illicita copula, & pollutio, est etiam prohibita delectatio proximè disponens, ad utranque, talis est delectatio venerea ergo.

Consequentia ista est conformis propositioni 40. damnata ab Alex. VII. *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.*

110. Dubitatur tertio, an actus, de quibus sermo est, in responso tertio *num. 107.* sponfis liceant, aut saltem careant culpâ mortiferâ, dum sponfi ijs utuntur ob delectationem, quæ ex ijs per se spectatis præcisè nascitur, consistens uti loquitur Perez *num. 3.* in quadam proportionem, & conformitate rei tactæ cum organo tactus, aut visus, quæ appellari potest naturalis: talémque etiam vocat Sanch. *num. 5.* hæc inquires placet tactus, aut visus proprii corporis, vel etiam sine ulla libidine ob solam proportionem, & connaturalitatem cum organo tactus aut visus: sicut tactus rei blandæ, & visus rei pulchræ organa visus & tactus naturaliter delectant. De hac videtur loqui Less. *lib. 4. c. 3. num. 58.* pro qua tria adfert argumenta, & quidem duo priora favent etiam non sponfis, tertium verò sponfis, postea *num. 59.* concludit cum communiore, quod quæsitæ talis delectatio sit mortalis in non sponfis, sponfis verò esse planè dissuadendos actus similes, si fiant causâ voluptatis Gobat *num. 672.* etiam meminit duplicis delectationis: unius quæ communissimè oritur in partibus generat.

erectationi destinatis, quando oscula exercentur inter personas diversi sexus, calidæque complexionis: & alterius, quæ sentitur duntaxat in labijs & genis.

An propositio Alexandrina utramque comprehendat, suspendit decisionem, si tamen sermo sit in propositione de sola prima (quam certum est esse mortalem) etiamnum secundam delectationem non esse mortale peccatum plures senserunt Theologi, at si etiam de secunda, tunc certum est, quod etiam secunda delectatio sensibilis sit mortalis, ita cit. Gobat subdens ex decisione curiæ Neapolitanæ in foro externo præsumi oscula saltem à Clericis præbita puellis, quas valde amant proficisci ex amore venerea.

Dominicus Viva *ad eandem propositionem num. 4.* existimat in ea per delectationem carnalem intelligi, quæ sentitur in carne cum commotione spirituum subservientium generationi circa partes libidinosas, hæc enim est venerea, seu sensualis; delectatio verò sensibilis, inquit, est illa, quæ solum placet tactus, vel visus proprii corporis, vel alieni absque ulla libidine ob proportionem &c. cum organo tactus &c. sicut locutus est Sanch. proximè allegatus. Hanc delectationem liberat ab omni culpa non ordinatam ad malum finem, nec expositam periculo delectationis sensualis, damnat tamen venialis, si fit ex levitate, aut curiositate (quid nomine curiositatis veniat in similibus actibus, cujus sæpe meminimus, colligi potest ex S. Th. 2. 2. q. 167. art. 2. ubi docet curiositatem etiam reperiri in cognitione sensitiva, quando ejusmodi cognitio inanis est, & ad nullum finem utilem ordinatur levitas autem inquit Pe-

reya in *Elucidario Juridico Theolog. num. 668.* est animi inconstantia, ac mobilitas, & in Jure Canonico sumitur pro facilitate: unde in *C. postulati de Rescript.* est ille loquendi modus: *delevi non scribimus*, id est non leviter aut non facile uti exponit Sanch. *lib. 8. matr. D. 21. num. 17.* quia tamen moraliter impossibile est subdit citatus Viva, quod hujusmodi oscula fiant ob delectationem sensibilem, & non habeatur etiam periculum proximum delectationis sensualis, seu venerea, idcirco non est practicè possibile, quod hujusmodi oscula vacent lethali culpâ.

Consentit Tamb. *lib. 7. Decal. c. 8. §. 1. nu. 3.* dicens dum osculum, & amplexus fiunt cum affectata contrectatione esse magnum periculum ne inseparabiliter nascatur etiam libidinosa delectatio, idem sensus est Less. *num. 62.* Ob hæc.

III. Respondeo ad dubium tertium ex tr. Canonistico *num. 99.* ubi primùm loquens de solutis non sponsis dixi, aspectus, oscula, tactus ob levitatem, seu jocum exercitos præcisè ob delectationem naturalem, seu organicam non esse mortales, minimè autem esse levitatem, aut jocum, quando est seria, & affectata deosculatio, seu cum ardore, & morosa amplexatione, Sporer *de Matr. num. 346.* nisi ætas infantilis excuset: aliàs innumeri parentes, & nutrices deosculantes infantes ex amore tenero peccarent mortaliter, ut superius dixi ex Sanch. *lib. 9. D. 46. n. 13.* Postea à fortiori excusari sponsos à culpa per se loquendo in præfatis actibus, quia tamen est magnum periculum delectationis venerea  
eti-

etiam sponſis non conceſſa per *num.* 109. ideo veriùs eſt etiam illis eſſe interdictos eos actus ob delectationem veneream. Dixi *veriùs*, quia etiam Viva *num.* 23. alias valdè rigidus ſententiam Sanch. de ſponſis relata *num.* 109. nullà afficit cenſurà, ſed duntaxat ait veriùs videtur negandum, quo loquendi modo inſinuat Sancheziùm probabiliter ſentire.

112. Addo ſequentia. Primò Sanch. ait, *D.* 46. *num.* 21. ponit differentiam inter aſpectum, & tactum, hic enim naturà ſuà ordinatur ad venerea, non ita viſus, & proinde ejus delectatio non fit communiter venerea; nihilominùs aſpectus, quo vir ſinè neceſſitate urgenti aſpiceret verenda ſcœminæ, aut viciffim eſt mortalis, idem *num.* 22. niſi ex curioſitate contingeret, idquè brevi morà citra periculum magnæ commotionis in corpore, idem *num.* 23.

Secundò ſcœminas præfertim virgines non teneri admittere, ut à viris curentur, in partibus ſecretioribus, maximè ſi eſt periculum turpis motùs, aut carnalis delectationis. Imò pertinet ad actum caſtitalis heroicum mori malle, quàm permittere in ſe turpes imagines, aut ullum ſenſum libidinis. Leſſ. *num.* 60.

Tertiò à ſcœminâ tactus impudicus permitti non poteſt, ſive in privato, ſive in publico, niſi cauſa medendi (quo caſu poteſt permitti, etſi ſicatur intentio prava. Habet enim ſe permiſſivè ex urgente cauſa. Diccaſtill. *de Fur. lib.* 1. *D.* 3. *num.* 268.) cooperaretur enim mortali impudicitia: quæ ratio etiam probat quod etiam tactus externè pudicus in privato loco debeat repelli, dum conſtat de intentionis pravitate: ſecùs in publico,

ut dum in adventu, aut reſeſſu amicorum manus apprehenditur, aut oſculum figitur, juxta morem patrium aut amicitiam, aut conſanguinitatem, quævis enim ex his cauſis eſt juſta non repellendi. Leſſ. *num.* 64. Ego verò cum cit. Diccaſtill. obligo ad non permittendum etiam in publico, ſi commodè vitare poteſt, idquè etiam ex lege caſtitalis, vi hujus enim, & non ſolùm in charitatis alteri non eſt offerenda occaſio violandi caſtitalitatem.

Quartò quod quis ad turpiloquium rideat, aut præſeferat ſimulatum gaudium ſine delectatione venerea, non eſt lethale, quia riſus, & gaudium apparens non eſt ſcandalum activum niſi eſſet perſonæ talis, quæ riſu authoritatem daret, aut approbaret. Sanch. *n.* 37.

113. Quintò oſcula, & tactus de ſe ſunt actus indifferentes, mali verò mortaliter exerciti ob carnalem delectationem, ſecùs propter delectationem ſenſibilem naturaliter perceptibilem ex contactu rei proportionata organo ſenſùs, ita Viva *num.* 18. Vide *num.* 110. *verſ.* *Dominicus Viva*.

Sextò cum ſenſualis, ſeu venerea delectatio ſuapte naturà ordinetur ad copulam, ſicut hæc opponitur bono proliſ, ita etiam malitia oſculorum &c. ſenſualis. E contra ſicut delectatio ſenſibilis, & tactiva ut tactiva non eſt mala, ita nec oſcula &c. ob annexam ijs ſenſibilem delectationem opponuntur bono proliſ, quæ delectatio quamdiu continet ſe intra limites ſui objecti, tamdiu malitiam nullam contrahit, tranſit verò ad ſpeciem luxuriæ ad copulam ordinatæ, quoties tranſit ad delectationem veneream, *Viva n.* 19. & ſeq.

Septi-



mirandum; voluntas excitatur ad delectationem de ratione in peccato inventâ, ut si sit curiosa, aut subtilis inventio, aut rara, aut de notitiâ veritatis, quam quis speculando objectum venereum affectus est.

Secundum est quod voluntaria cogitatio objecti venerei practica sit illicita, Carden. *num.* 91. quia illa proponit objectum venereum modo provocante, & commovente spiritus carnales ac delectationem externam in partibus secretis, sed talis est illicita omnibus non conjugibus (his vero est licita utpote à natura destinata ad generationem) cum extra conjugium non liceat actus generationis. De hac cogitatione loquitur Tamb. *lib.* 10. *in Dec. c.* 1. *nu.* 8. difficultas est inquit, si sit (imaginatio, vel cogitatio intellectualis) in rebus obscarnis solum ob delectationem, quæ ipsâ imaginatione sentitur, ibiquè persistat, an sit peccatum mortale, & assero esse semper mortale. *Ly sentitur* indicat delectationem in sensu carnali. Vide *n.* 82.

115. Tertium est, quod cogitatio practica objecti venerei, dum est tepida, seu leviter procurativa commotionis spirituum, non sit mortalis per *num.* 83. ex Carden. *num.* 138. quia ob levem quem habet influxum in commotionem spirituum, caret omni periculo pollutionis, sed talis nequit esse mortalis, per *n.* 92. Vide *n.* 38 & 100.

Quartum est vacans cogitationi speculativæ venereæ cum pravis periculo excitandæ practicæ graviter commoventis spiritus, absque tamen periculo consensus in illam non peccat mortaliter, quia speculativa contemplatio venerea absque

periculo consensus in practicam, per se, & notabiliter non influit in hanc, sed hoc ipso contemplans objectum veneram non peccat mortaliter per *num.* 92. & Cardenas *num.* 139.

E contra liberè contemplanti, positio præfata cogitationis practicæ, cui excitandæ prævidetur periculum consentiendi in illam, imputatur in culpam gravem, quia censetur velle in causâ cogitationem graviter provocatoriam spirituum seminalium, proinde delectationem carnalem ab ijs inseparabilem, siquidem liberè atque adeo absque causâ urgente contemplatur, Carden. loc. cit.

116. Quintum est, si quis contemplatur seu speculatur objectum venereum ex causâ urgente cum periculo secuturæ cogitationis practicæ venereæ vehementis, id est, graviter concitantis spiritus cum periculo consensus in talem practicam cogitationem, sinè tamen periculo consensus in delectationem veneream, non peccat mortaliter, quando non potest, aut nescit practicam cogitationem vertere in speculativam, aut distinguere inter speculativam, & practicam, quia urgens causa excusat tunc contemplantem, etsi se exponat periculo habendi cogitationem practicam, aut esto hanc actualiter habeat, studium enim est causa urgens contemplandi objectum venereum, & cum ob ignorantiam nequeat aliam sanioerem cogitationem habere, non est causa positiva per se, sed permissiva solum commotionis. E contra incurrit actum mortalem potens facilè vertere practicam in speculativam, si enim nulla est urgens causa habendi cogitationem practicam, potest què facilè, uti supponitur, periculum

illi-

illius vitare per resistantiam, & actus in-  
ternos per *num.* 102. Carden. *num.* 136.  
*juncto num.* 140.

Sextum est, quod non peccet stu-  
dens, aut confitentibus aures præbens,  
si invito occurrat loco speculativæ cogi-  
tatio practica, nec si sic occupatus sen-  
tiant motus ignarus discernendi practicum  
à speculativâ, dummodo absit consensus  
in motus carnales, vel in delectationem,  
aut præfati consensus periculum, tunc  
enim se merè permissivè habet relatè ad  
commotionem. Carden. *num.* 135. &

*seq.* ex communi Theolog. apud & cum  
Sanch. *lib.* 9. *matr.* D. 45. *præsertim.*  
à *n.* 15.

Ultimum est, quod sit apertum in-  
dicium voluntatem resistere commotioni,  
quando quis invitatus eam patitur, tunc  
autem invitatus patitur, quandò mallet il-  
lam abesse, ac aliunde justa de causa po-  
nit, aut continuat cogitationem specu-  
lativam veneream Carden.

*num.* 137.

\* \*



§. XIV.

De effectu præviso in causis à Luxuriâ distinctis.

117. **P**ostquam à *num.* 40. usque ad  
78 actum est in genere de re-  
quisitis in omni materia, ut effectus impu-  
retur, sitque indirectè voluntarius po-  
nenti causam, & à *num.* 78. hucusque  
de imputabilitate luxuriæ, præsertim pol-  
lutionis prævisæ in causis potissimum ad  
luxuriam spectantibus, superest examina-  
re alias causas à luxuriâ diversas, in qui-  
bus prævidetur effectus, malus, quando  
hic censendus sit voluntarius, dum præ-  
videtur secuturus ex occasione alicujus  
actionis nostræ de se, ac in sua entitate  
physica indifferentis ad bonum, & ma-  
lum, sed quâ alter, cui subministratur,  
præscitur abusus.

Quæstio hæc est multùm implexa,  
ac difficillimæ resolutionis, uti patebit.

Pro decisione prænoto primò indifferen-  
tia vocari, quæ bono, & malo usui de-  
servire possunt, ut venditio idoli, ædifi-  
catio templi, remigatio &c. possunt enim  
ordinari in bonum, & malum; sic bona  
est venditio idoli in memoriam cæcæ gen-  
tilitatis id adorantis; mala est, si fit ad  
colendum.

Igitur ex se venditio caret omni præ-  
vitate, usus verò ejus bonus, aut malus  
efficitur ex animo vendentis, aut emen-  
tis, Pal. *ro.* 1. *tr.* 6. D. 6. p. 8. n. 1.

Prænoto secundò cumeodem *num.* 2.  
ex indifferentibus quædam regulariter de-  
stinari ad prævum usum omni tempore,  
alia duntaxat aliquando, alia potius in  
bonum. Primi generis sunt venditio ve-  
neni, idoli, clavis falsæ etfi personis ali-

L 2

qui-

quibus deservire possint in bonum. E contra venditio, & emptio armorum, animalium caterarumque rerum, communiter fit ad bonum usum, esto aliqui aburantur.

Secundi generis indifferentia sunt venditio, & preparatio carni in quadragesima, destinatur enim ad comestionem, quæ eo tempore communiter omnibus prohibetur.

Prænoto tertio quod cit. Author p. 9. num. 3. cum Sanch. lib. 1. Decal. c. 7. num. 16. distinguat duplicis generis actiones indifferentium: nam aliqua remota tantum ordinantur ad peccatum alterius, ut si vendatur agnus sacrificatio eum idolo, si preparantur cibi violatio Jejunium: alia vero sunt proximiores peccato, ut admoveere scalam furari volenti, sustentare humeris ingressurum per fenestram, porrigere gladium determinato ad occisionem, invitare ad cenam preparatam eum, qui solvet jejunium, ab his secundis negat Sanch. excusari posse subministrantem, nisi adsit urgens causa, priores vero actiones existimat probabilius posse exerceri sine mortali ex eo solum, quod te non ministrante alius fit ministraturus.

Palao autem num. 4. censet probabilius esse mortale: quia quod e. g. alibi fit soluturus jejunium, actio tua cooperativa non immutatur ab actione, si invites ad cenam alibi non violaturum, sed secundum ferè omnes tunc peccas mortaliter, ergo etiam licet alibi sit violaturus.

Prænoto quarto certum esse, quod nefas sit unquam sine causa justa, seu sufficienter excusante materialiter concurre-

re ad alterius peccatum, id est, subministrare illi peccati materiam ex se etiam indifferentem, charitas enim sub mortali obligat ad impediendum mortale peccatum proximi, dum potest commodè impediri, an autem etiam alia virtus, quam alter prævidetur, violaturus per abusum materiæ à te subministratæ te obstringat, nè seclusa causâ justâ illi occasionem suppedites responsum est. num. 72. & 73.

118. Quæ autem causâ sit censenda justa, seu proportionata ad excusandum subministrantem, ut hic non judicetur peccato cooperari, sed permittere defini non potest, uti sapienter dissentit Sanch. lib. 1. Decal. c. 7. num. 12. nisi ex circumstantiis, & natura operis indifferentis, hujusque conducentia ad peccatum alterius; item ex qualitate virtutis violandæ, cum non sit æqualis virtutum omnium obligatio, sed unius strictior, quàm alterius, sic si peccatum sit contra justitiam, seu tertio perniciosum. causa major requiritur, quàm in peccatis contra virtutem temperantiæ, castitatis, Laym. item attendi debet ad dispositionem abusus, non enim est semper æqualiter dispositus ad peccatum, sed plus, aut minus paratus, proinde aliquando est major spes, quod non sit abusus tuâ ministratio materiæ indifferentis, aliquando est spes nulla, aut exigua.

Hinc ad taxandam causâ sufficientiam, quæ excuset ab obligatione non subministrandi, primo debet attendi, qualis sit virtus violanda à proximo. Secundo ad personæ dispositionem, cui subministratur materia, an sit scilicet antecedenter parata ad peccatum, vel non? Tertio an, & quanta sit spes proxima non

non peccaturum, si illi non subministres materiam de se indifferentem? Quartò qualiter, nempe an remotè, aut propinquè conducatur actio tua dans materiam; quo enim propinquius concurrat ad ruinam, eo urgentior causa, aut necessitas poscitur: sic scemina cum detectis partibus secretis non licet citra mortale apparere coram alijs extra casum urgentissimæ necessitatis, quia esto in se sit opus indifferens, vehementissimè tamen inducit ex se ad lapsum. His non obstantibus.

119. Tamburinus *lib. 5. in Decal. c. 1. §. 4. num. 16.* loquens de cooperatione cum peccante statuit hanc regulam universalem. Ex causâ rationabili, justa nimirum, & proportionata non peccat, nec tenetur ad restitutionem is, qui scienter cooperatur cum aliquo in actione, quæ non est intrinsecè mala, sed in se considerata indifferens est, si ipse illam actionem ordinet ad finem bonum suæ, vel necessitatis, vel utilitatis, quia inquit stante tali causâ nulla est obligatio abstinendi ab actione materiali, & indifferenti ad peccatum proximi, eò quod rationalis causa necessitatis, aut utilitatis tollat potentiam moralem impediendi peccatum proximi.

Regulam cum ejus ratione amplexus est Patrit. Sporer. *tr. 5. in 5. præceptum Decal. c. 1. à num. 71.* sed ut præmissum est, cum pro diversitate cooperationis &c. diversa, graviorque exigatur causa juxta gravitatem virtutis, contra quam est futurum peccatum &c. regula ista etsi re ipsa sit vera, parùm tamen in praxi servit, cum redeat dubitatio, quamvis causa in casibus singularibus habenda sit pro proportionata.

Hinc cit. Tamb. descendit à *num. 18.* ad particulares cooperationes: & quidem omnium primò ad cooperationem famuli cum Domino, & similia, puta filij, subditi, asseritquè quod ratio famulatus sit causa proportionata, ob quam sequentia opera ex se indifferentia fiant.

Primò si jussu heri usurarij famulus pecunias numeret, deferat, recipiat, & in librum referat. Secundò si domino jubente quem scit iturum ad adulterandum, sternat equum, comitetur merè ipsum, merèque expectet ante fores (secus ut custodiat, reddatque animosiores ad peccandum) sternat lectum, condiat cibos, ministret concubinæ, hanc merè comitetur, ducat ad locum committendi peccati, ingressuraquè portam aperiat. Tertiò si ancilla ornet suam heram meretricem, deferat litteras, & internuntia solius urbanitatis (secus si amatoria, & turpia continent, aut directè ad peccatum provocantia) munera, & similia officia æquè ab alijs famulis præstari solita. Enumerata amplectitur cit. Sporer. *n. 99.* extendens ad coquentes dominis jejuniis violaturis canam, & carnes, vel ministrantes, actio enim hæc non ordinatur naturâ suâ ad peccatum, sed solum ad substantiam actus comestionis, quæ spectat ad nutritionem domini, cui per accidens hujus peccatum annectitur, quod famuli officio suo fungentes non tenentur impedire, cum eorum actio officiosa sit merè materialis, & remota solum.

Idem Tamb. *num. 19* specificat aliquos actus aliquanto propinquiores peccato, ut si referat adulteræ, ut tali horâ veniat ad domum heri (sed nè dicat ad peccandum, quia hoc est intrinsecè

malum) jussu domini insequatur puellam visurus, aut inquisiturus, ubi habitet, & nihil aliud, si ejus mandato non modo aperiat januam, sed doceat ubi sit Dominus: si hunc adjuvet ad ascendendum per fenestram, per quam ingrediatur ad locum, in quo est peccaturus. Hæ & similes actiones famulorum ut excusentur, non sufficit sola ratio famulatus, sed metus notabilis damni, quale foret, si famulus hunc dominum deferens cogatur alium cum sua molestia, & damno querere: aut nè à domino malè tractetur, nè torvis oculis aspiciatur, nè è domo cum suo detrimento expellatur.

Eadem doctrina ante Tamb. fuit tradita à Pal. p. 1. tr. 6. D. 6. p. 11. nu. 5. Sanch. Lib. 1. Decal. c. 7. à num. 24. Hi omnes secuti sunt Navar. locis apud hos citatis.

120. Post decretum Innoc. XI. actiones propinquæ, & proximè accedentes etsi ex se videantur indifferentes, certum est justificari non posse à sola famulatus ratione nec insuper à notabili damno, uti palam est ex proposit. 51. *Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta nè à domino malè tractetur, nè torvis oculis aspiciatur, nè domo expellatur.*

Ob hæc uti præmonui num. 117. est valdè intricata quæstio, cum suâ resolutione, quando quis sine peccato possit cooperari materialiter alterius peccato ex-

hibendo illi materiam, aut objectum, aut facultatem peccandi.

Qui in hanc propositionem ex professo scripserunt tres habeo ad minus Raymundum Lumbier, Ord. Carmelit. viri doctissimi 1681. edentem *observationes Theologicas morales, ad proposit. Innoc.* quatuor annis tardiùs lucem aspexit in eadem proposit. Crisis Theologica P. Joannis Carden. Post utrumque scripsit P. Dominicus Viva librum cui titulus. *Damnatarum Thesium Theologica Trutina,*

Cum quo dico fas esse nobis cooperari materialiter peccato ejus, qui abusus prævidetur objecto, aut materia subministratâ existentibus tribus conditionibus. Prima est, quod operatio nostra non sit intrinsecè mala, sed vel bona, vel indifferens. Secunda, quod non ponatur sine causa rationabili. Tertia, quod peccatum proximi non sit obligatio tunc impediendi ob physicam, aut moralem impotentiam, impotentia enim etiam moralis excusat, qualis est, quando sine magno incommodo nequit impediri, tunc enim non impediens se habet permisivè, ad proximi lapsum, cooperativè verò, ac imputabiliter, dum citra incommodum grave potest impediri, quia tunc datur activum scandalum, quia nemo à mortali liberat eum, qui grave proximi incendium non exstinguit. Quod sine gravi molestia potest sopire, ita ille ad proposit. 51. num. 1.

Circa tertiam conditionem est gravissima difficultas, quantum debeat esse incommodum sufficiens ad efficiendam moralem impotentiam, quæ excusat à peccato cooperantem materialiter peccato proximi.

121. Generales Regulae comunitè receptæ ex n. 118 facile eruuntur. Citatus Viva num. 2. quinque ponit: prima pro gravitate peccati majori major causa requiritur, minor pro minori, regula hæc sequitur ex natura charitatis.

Regula secunda, quando abusus materiæ ministrandæ est contra Justitiam, necessaria est causa gravior, quàm dum est abusus materiæ contra alias virtutes, nam ibi præter peccatum scandali contra charitatem violatur jus tertij.

Regula tertia, quo actio ministrans materiam propinquior est peccato, eo gravior causa poscitur quàm sit illa, quæ excusat, dum actio est à peccato remotior: sic facilius excusaris elocando domum meretrici, causa tamen hæc sufficiens non excusat, ut ei venienti ad peccandum ostium reseres, aut lectum sternas: similiter causa excusans famulum comitantem dominum, dum hic vadit ad peccandum, non sufficit ut humeros supponas, aut scalas deferas, pro ascensu per fenestras ad stuprandum, hæc siquidem actio est propinquior peccato, quàm comitativa.

Regula quarta si te non subministrante materiam non de facili alius sit supeditaturus, opus est causâ urgentiore, quam si passim alij cooperaturi sint, ex hoc capite facilius à culpa liberantur venditores alearum, fucorum, armorum, quàm veneni, cum hoc non facile vendatur.

Regula quinta. Quo quis plus, aut minus juris habet ad aliquod opus, eo minor, aut major causa poscitur, ut licet opus exigi possit: unde cum Baptismus sit magis necessarius, quàm confirmatio-

nis Sacramentum, causa excusans à peccato petitionem baptismi ab indignè administraturo non excusat petitionem confirmationis conferenda ab indigno.

122. Verùm etiam hæc Regula non quietant intellectum, adhuc enim relinquunt indecisum, in praxi, & in particulari illo vé casu, utrum causa habeat proportionem ad materialem cooperationem, quam à peccato excuset, idcirco citati Doctores. Sanch. Pal. Tamb. & passim alij specificant casus varios pro quibus excusandis diversas adferunt causas, ut ex eorum decisionibus confessarij sequeantur juvare in eventibus similibus.

P. Lumbier damnatam propositionem attribuit Dianæ, Palao, Tamborino, etsi apud neminem reperiantur singuli termini damnatæ propositionis. Viva videtur exculpare Palaum, quia hic num. 5. non est contentus solâ ex domo expulsione famuli, sed addit, quod expulsus cogatur mendicare, aut penuriam pati, de quo damnata nihil explicitè dicit, & ideo certum est formaliter non damnari. Si propositio restringatur ad istam causam famuli, in actionibus in propositione expressis adjuvantibus herum volentem stuprum Virginis.

Non etiam videtur virtualiter damnari, nam ut sæpius in sua Crisi inculcat Cardenas, ut formalis seu explicita damnatio alicujus propositionis sit virtualis damnatio alterius propositionis, debet hæc esse antecedens, ex quo infallibiliter inferatur damnata: atque ex hac propositione: *Famulus qui submissis humeris scienter juvat herum ascendere per fenestras &c. non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti,*  
puta

*puta nè à Domino malè tractetur, nè torvis oculis aspiciatur, nè domo expellatur, & expulsus cogeret mendicare aut penuriam pati.* Ex hac inquam propositione utpote causam gravio-rem requirente pro famuli adjuvantis ex-culpatione nequit legitimè inferri forma-riter proscripita utpote contenta causà mi-niùs gravi pro exculpando famulo.

123. Dices humeris, aut scalis ju-vare Dominum in casu propositionis dam-natæ est actio intrinsecè mala non minùs, quam sit intrinsecè malum accendere tor-mentum adversus innocentes, sed hæc actio etiam ad vitandum metum mortis est illicita, ergo etiam ad mortem vitandam nefas est juvare humeris, aut scalis domi-num, ut per fenestras ascendat ad stupran-dam virginem ergo expressa damnatio pro-positionis § 1. est virtualis, ac implicita damnatio propositionis Pal. cum nullius causa gravitas valeat illam actionem red-dere ex intrinsecè mala, non malam in-trinsecè.

Respondet Viva num. 3. omnino, si præfata famuli actio est ex genere intrin-secè malorum, probari rectè quod pro-positio Patris Palao etiam sic restricta sit implicitè damnata, si autem non sit in-trinsecè mala, ut famulus licitè eam obe-at, non sufficit qualiscunque ejus mendi-citas, sed gravissima, quæ scilicèt foret morte ipsa amarior: juxta illud Ecclesia-stici 30. *melior est mors, quam vita a-mara.* Ergo sicut certum est metum mor-tis famulum excusare in dicta cooperatio-ne materiali, ita excusabit metus gravissi-mæ mendicitatis.

Cæterùm etiam est certum, quòd eædem actiones, quarum meminit pro-

positio, etsi supponerentur esse de se in-differentes, non sint excusabiles à morta-li ex metu torvi aspectùs, expulsionisque domo, has enim propositio damnata alle-gat causas.

Addit Viva nec sufficere mendicita-tem non gravissimam, quia ob magnam, quam habent cum peccato propinquitatem, gravissimam exigunt causam pro sui cohonestatione.

Supereft substantialis circa præfatas propositionis damnatæ actiones dubitatio, an sint intrinsecè malæ, proinde nec mor-tis metus eas à culpâ vindicet. P. Carden. à num. 5. hæret dubius: una enim ex parte proponit rationes, quæ saltem te-nuem probabilitatem faciunt, non esse malas intrinsecè, proinde in gravissima necessitate, qualis est mortis metus hone-stari posse, atque in praxim redigi, pro-positio enim tenuiter probabilis etiam damnata ob extremam necessitatem ac-quirit intrinsecam majorem probabilita-tem, practicabilem uti ab exemplis probat. *Diss. 4. à num. 52.* Ex altera parte suspendit judicium relinquens sedi Apo-stolicæ decidendum, ante cujus decisio-nem censet se practicè dubitare de hæc quæstione, atque adeo eo usque se ele-cturum partem tutiorem.

P. cit. Lumbier ad istam propositio-nem primò conatur invertere fundamen-tum eorum, qui actiones hujus propositio-nis asserunt esse ex se indifferentes, ait-que esse falsum, quia actionis indifferen-tia non est unicè desumenda ex physicâ en-titate illius, sed morali, esse autem mora-le actionis entitativè non malæ dependet à circumstantijs illam comitantibus, sic applicatio scalar ad fenestras proximi phy-sicè,

ficè, & in se est indifferens, at circumstantia ascendens per eas ad furandum est cooperativa ad furtum, ac intrinsicè inquinata: Chyrurgi curantis actio tactiva secretae partis foeminae physicè, ac ex se indifferens, & à Chyrurgo suscepta ex fine pravo evadit mala moraliter intrinsicè, si eo tempore famulus Chyrurgi foeminam teneret, sciens herum suum abuserum hac suâ actione, moraliter judicaretur cooperari illicitis tactibus secus exercere actionem, quæ sit moraliter indifferens; ergo etiam actiones damnatae propositionis non habent indifferentiam moralem etiam ex parte famuli, esto physicè sumptæ sint indifferentes.

Secundò inter ipsas actiones distinguit: alia enim sunt positiva, & ex his quaedam ad peccatum inductiva; quaedam non inductiva, attamen cooperatrices, alia verò sunt purè permissiva, ac remota relatè ad peccatum. Positiva inductiva esset, si ex mandato Domini, famulus iret ad foeminam dicendo, nocte hac tali horâ compareas in domo mei Domini sciens, quod comparitio hæc pro tunc determinata sit ad finem pravum, secus si ejusmodi præsentiam experimento constaret sapiùs fuisse ordinatam ad finem non malum, etsi aliquando acciderit ex fine pravo, tunc enim vocatio foeminae non induceret hanc ad peccatum.

Actiones positivae cooperativæ sunt ipsissima in propositione damnata expressa, famulus enim per eas non inducit Dominum, aut foeminam ad peccatum, sed cooperatur, ejusmodi etiam foret, si famulus iret non ad adducendam, & vocandam, sed ad condictam antea stipandam, & comitandam conscius intentionis

R. P. Karch, Diff.

mala, non enim minus malum est concubinam adducere, quàm scalam deferre, actio hujusmodi nocturno tempore facit foeminam securiorem, audaciorémque ad malum congressum: similes cooperativæ actiones, licèt sint minùs mala inductivis, sunt tamen in esse moris proxima, ac determinata à circumstantijs ad malum, malaquè per se, quin prætextus periculi notabilis damni eas depuret à malitiâ, uti probat superiùs adducta instantia à cooperatione ad furtum, quam nullum periculum eximere valet à malitia.

Actioni positivae remotæ, consequenter purè permissiva accenset aurigationem, qua auriga per pretio de loco ad locum transfert res, aut personas, id enim præstare potest etsi sciat auriga finem malum, potest igitur conductus vehere concubinam, ac curru consistere etiam ad januam domus condictam, dummodo nihil aliud faciat, at sciens ducere non possèt ad domini cubiculum.

Ex hoc principio communis opinio docet licèt elocari domum meretrici, elocatio namquè respectu turpitudinis exercendæ habet se permissivè, ac remotè, dominus enim utitur jure suo, cujus fructu ac usu non tenetur se privare, relinquendo domum inelocatam.

Hæc de industria ex viro isto doctissimo adduxi, cujus doctrina cum sit sana, pia, ac solida, censore Th. Muniessæ Societatis Jesu. à libris editis clarissimo, multum luminis adferre poterit in particularibus difficultatibus habitâ reflexione ad actiones comparando illas cum actionibus ex illo productis, inde enim non agrè constare poterit, an actio aliqua circa materiam physicè indifferentem sit

M

posi-

positivè inductiva, vel coperativa, vel purè permissiva.

124. P. Sanch. *lib. 1. Decal. c. 7. num. 30.* non agnoscit in actionibus damnata propositionis malitiam intrinsicam: verba ejus adscribo: non peccant famuli apcientes jussu heri januam domus concubina, nec docentes ubi herus sit: similiter licet, si herus ascendere velit per fenestram ad rem habendam cum feminâ, pedem sustinent ut ascendere possit, dummodo tamen vitatio alicujus magni damni in famulis concurrat, cum enim omnia hæc ministeria peccato valdè connexa sint, ea non excusat communis ratio famulatus. Et gravior adhuc causa requiritur, quando herus vult per fenestram, aut tecta ingredi, aut scalis admotis indiget, quia domino domus injuria irrogatur, & sic peccatur contra justitiam, per cooperationem valde propinquam. Ità ille.

P. Dominicus Viva *num. 4.* contra Tamb. Pal. citatos *num. 119.* putat probabilius actiones damnata propositionis esse intrinsicè malas (pro se allegat Sanch. sed ut ex ejus verbis patet, oppositum sequitur) etiam actiones de se, & secundum esse physicum indifferentes, quoties hæc, & nunc sunt proximè ordinata ad peccandum, ut ad movere scalas, aut humeris sustentare volentem ascendere ad stuprandam virginem, vel ad occidendum hostem: ut proinde famulus non possit à culpa excusari ob quemcunque metum, si eas præster, etsi sciat dominum esse paratum ad peccandum, ac inventurum alios, à quibus ad id juvetur. Ità ille.

125. Ex hac doctrina sua *num. 5. & 6.* deducit primò facile discerni posse an plurimæ opiniones apud cit. Tamb. §. 4. & in *summa* Dian. verb. *peccato cooperari* habeant solidam, aut tenuem probabilitatem.

Deducit secundò graviorem postulari causam, quam sit amissio lucri, aut expulsio è domo, ut possit auriga concubinam deferre ad peccandum, ità etiam Sanch. *num. 25.* contra Tamb. Dian. quos sequi videtur cit. Lumbier *nu. 123. vers. Actioni positiva.*

Deducit tertio, quod ratio famulatus sit insufficiens, ut queat purè materialiter comitari herum ad lupanar contra Sanch. *nu. 22.* multò minùs ratio famulatus sufficit pro comitiva concubinæ ad domum heri, quæ opinio est etiam Lumbieri per *nu. 123.* contra Sanch. *nu. 25.*

Deducit quartò cum Sanch. *nu. 26. circa fin. vers. si contineant.* contra Dian. *p. 3. tr. 6. Resol. 46.* ex alios famulum etiam ob mortem, quam minatur dominus non posse concubinæ deferre literas ad peccatum invitatorias, videtur enim actio intrinsicè mala, non secus, ac si oretenùs provocaret eam ad peccatum. Addit etsi famulus esset sibi conscius mortalis, crederetque se non contritum, proinde damnandum, si occidatur, potiùs inquit deberet, velle subire mortem æternam: quàm tales ferre literas, talis tamen reverà tunc salvaretur per actum Charitatis Divinæ, quo velle potiùs damnari quam DEUM offendere.

Ego quidem censeo omninò salvandum, sentio tamen volitionem æternæ damnationis esse intrinsicè malam, ut

ex professo docui in tract. de pœnit.  
num. 100.

Deducit quinto non sufficere rationem famulatûs pro licitè deferendis ad concubinam munusculis, ac esculentis, quia ejusmodi fovent tartareum ignem, ergo necessaria est major causa contra Sanch. num. 29. excusantem, quod se remorè habeant: requirentem tamen in non famulis aliquam justam causam.

126. Deducit quintò cum Sanch. num. 34. tabernarios, & Caupones excusari à mortali, vendentes cibos violaturis Jejunium, nè amittant lucrum, quia inquit Sanch. ferè nunquam est spes, quod denegando abstinebunt, alijquè suppeditabunt. Est.

Contra Navar. Valent. Damnantes mortalis præfatos paratos ministrare quibusvis sine discrimine, an habeant justam causam solvendi jejuniij, quod assertum in rigore esse verum fatetur Sanchez, moraliter tamen ex eo capite negat unquam peccare mortaliter. Propter dictam rationem, quæ etiam excusat Catholicos nautas in Hollandia vehentes annonam ad castra hæreticorum, ita Sanch. Less. Fill. approbati à Viva. Reprobat. cit. Sanch. etiam Less. obligantem tabernarios ad Interrogandam si commodè possunt, divertentes hospites, die jejuniij de causa excusationis, quia discussio hujusmodi non spectat ad tabernarios, nec fieri potest commodè, ac in dnbio bene præsumi potest de proximo, ubi tot cause excusantes possunt concurrere. Credo tamen quod lucri amissio sola non sufficiat in casu, quo te negante cibos alibi non faciliè acquirere, Viva cit.

Deducit sextò cum Ebrietas sit peccatum gravius solutione jejuniij (privat enim bono meliore) lucri omissio non sufficit ut possit vinum vendi scienter se inebriaturo.

Deducit septimò si vendito à te gladio alter sit abusurus contra justitiam, multò minùs excusat, amissio lucri venditorem, estò emptor faciliè ab alijs sit comparaturus, ut si gladio sit directè occisurus innocentem, nullum quantumcunque pretium pro gladio oblatum excusare potest, venditio enim esset contra charitatem.

Deducit octavò in dubio, an proximus sit abusurus re de se indifferente, licitè ministratur in casu dubij negativi, id est, dum nulla causa rationabilis occurrit pro abusu: si verò sit dubium positivum, id est, prudens ratio dubitandi de abusu datur, necessaria est causa sufficiens suadens, quod fas sit ministrare; causa tamen non requiritur, quæ æquet gravitatem causæ requisitæ, quando abusus est certus. Hæc distinctio est Sanch. num. 17.

127. Hæc ex viva deducta censeo valdè probabilia, nihilominus Respondeo ad dubit. num. 173. motam actiones in damnata propositione contentas probabiliter non esse intrinsecè malas. Assertio hæc conceditur à Viva sustinente oppositum duntaxat ut probabilius, suadetquè probabilitatem ratio, quam pro hoc adfert num. 3. adjuvare inquit herum per fenestras ascendentem non est actio immediate patrativa præmeditati stupri, cum stante eadem actione famuli possit herus illà uti ad bene operandum, è contra accensio tormenti contra innocentes determinatè in his circumstantijs est occisiva,

M 2

idcir-

idcirco, quod hæc sit mala intrinsicè, non est argumentum ad actionem dictam famuli.

Probo secundo non minùs remigatio in Turcicis trirēibus pugnātibz injustè contra fideles est proxima peccato injustitiæ, quam actiones propositionis damnatæ sint propinquæ stupro, sed remigatio in dictis circumstantiis pugnae Turcarum contra fideles non est intrinsicè mala, aliàs Christiani captivi flagris, & metu mortis compulsi ad remigandum non possent excusari à culpâ, à quâ tamen sententia communior, & probabiliore eos absolvit ita Less. *lib. 2. c. 9. num. 122. & seq.* Mol. *D. 115.* Sanch. *num. 18.* contra Navar. in *summâ c. 27. num. 63.* Soarez in *3. p. 10. §. de censura. D. 21. sec. 2. num. 60.* Hoc argumentum mihi ostendit quod actiones propositionis damnatæ probabilius non sint intrinsicè malæ cum non vident discrimen inter illas, & remigationem, qua abutuntur Turcæ in actuali conflictu.

Dic ergo cum certum sit post dam-

nationem requiri metum, & gravioris mali expresso in damnata, quantum debeat esse malum, ad quod evitandum possint illa ubiri. Respondeo unicus ex ijs qui scripserunt post propositiones damnatas, quos ad manus habes, P. Jacobus Illsung in *Theologia practica* ad hoc dubium categoricè respondet hisce verbis *tr. 3. disp. unica. art. 6. §. 3. num. 114.* quod si tamen ad hujusmodi actiones, metu mortis, vulnerationis, valdè enormis percussione adigeretur, credo salvo decreto Innoc. XI. excusatum iri, à mortali. Et cit. Dominicus Viva. *num. 3.* post medium excusat eos propter solum metum mortis, aut mendicitatis gravissimæ, quæ scilicet sit morte ipsa amarior, cujus rationem aliam non dat, nisi magnam cum peccato propinquitatem, & ideo non excusabilem sine causa gravissima. Dura resolutio, sed quam possit propinquitas cooperationis ad peccatum, est tamen hic habenda reflexio supra regulas allatas *n. 121.* quos ferè completus est Sanchez. *n. 12.*

\* \*  
\*



## §. XV.

### Continuatur materia prioris Paragraphi.

128. **Q**uæritur I. quid comprehendant in propositione § 1. damnata (quam revide *num. 120.*) termini aut quod simile comparando. Respondet Carden. *Dissert. 31. num. 10* com-

prehendi actiones defacto adjuvantes ad executionem luxuriæ, etsi ab hac circumstantia abstractæ sint indifferentes, ut scilicet deferre concubinæ ad domum heri, sive fiet delatio sella gestatoria, sive pu-

re

re eam comittendo, & scienter deferre litteras provocatorias ab hereo missas, aut è contra aut ejusmodi litteras scribere: vocare concubinam ut adeat domum, vel cubiculum heri; ex domini jussu insequi fœminam ut sciat locum habitationis, eiquè referat. Excusat nihilominus plerumquè famulos ministeria hæc obeuntes, quia ignorant illa ordinari ad libidinem, vel suspicantur tantùm, quæ suspicio non sufficit ad tollendam dubitationem.

Respondeo recensitæ actiones non omnes sunt propinquæ, aut non æquè, siquidem P. Lumbier *num. 123.* inter remotas actiones reponit vecturam concubinæ; nec comitivam, quam præstat famulus hero eunti ad lupanar, videtur Viva inter aded propinquas reponere, sed poscit solùm graviolem causam, quàm sit ratio famulatûs per *num. 125. vers. deducit. 3.* quod P. Lumbier *num. 123.* dicat fœminam stipatam famulo reddi audaciorem, non videtur notabiliter aggravare, nam quæ tales sunt, jamque priùs conductæ, adessent etsi famulus non comitaretur, aut facilè per alium comitiva præstaretur: proinde peccatum non impediretur.

Concedo tamen, quod sola ratio famulatûs videatur insufficiens. Minimè autem ex omnibus recensitis est peccato propinqua inspectatio, ubi degat fœmina, & desuper faciendâ relatio, cum sit valde remota.

129. Quæritur II. An citra peccatum Christiani in captivitate infidelium in navigijs remigent in conflictu contra Christianos. Negat Navar. summæ c. 27. *num. 63.* Soarez in 3. p. t. 5. de censur. D. 21. sec. 2 *num. 60.* quia remigatio

etsi in abstracto considerata sit actio indifferens, at ut hîc, & nunc exercita est cooperatio vera injustæ invasionis, ergo inseparabilis à malitia, nullòque metu etiam mortis excusabilis. Confirmatur ejusmodi remiges justè possunt occidi ab invasivis, sed nisi agerent iniquè occidi justè non possent.

Respondeo probabiliorem esse affirmativam Less. Mol. Sanch. allegatorum *num. 127. vers. Probo 2.* quia non agunt contra justitiam, remigatio naturâ suâ non est perniciosâ proximè, sed indifferens, sicut aurigatio, unde quod hîc, & nunc noceat fidelibus, id provenit à malitiâ infidelium, secùs prout subest directioni remigantium, quorum cooperatio non est formalis, sed purè materialis, quam excusat metus mortis, sicut ex hoc metu restituens furioso gladium, quo hostem est confosurus, purè materialiter cooperatur. Mon etiam peccant in charitatem, quia nemo tenetur vitam exponere ex pura charitate, nisi pro conservando, aut impediendo bono majore, quale est publicum; in casu præsentis non est spes avertendi mali, nisi omnes remiges conspirent, hoc autem est moraliter impossibile, Mol. D. 115. *Concl. 4.*

Ad argumentum negativæ sententiæ Respondeo esse cooperationem veram non formalem sed purè materialem ex parte remigum, hi enim illam peragunt ut purè medium aversivum mortis sibi imminentis, est ergo ex parte illorum separabilis à malitia, sicut restitutio gladij, ut dictum.

Ad confirmatioem dico cum Lessio C. 13. *num. 30* Distinguendo majorem, quæ vera est de justâ occasione non jure

vindictæ, cum remiges non peccent, sed jure justæ defensionis (cum aliter contra impugnatores hostes victoriam, aut defensionem justam prosequi nequeant sine occisione remigum) quo jure possunt occisione remigum) quo jure possunt occidi etiam pueri, & amentes.

Eo igitur casu est quædam justa utrinque species belli non sita in propinqua utrinque directa impugnatione, hæc enim nequit esse reipsa utrinque justa, sed ex parte remigum non est directa; unde si contra defensores non possunt se defendere, sic enim directe impugnarent innocentes. Possè dari mutuam speciem belli justam, monstratur exemplis passim approbatis: servus bello captus licitè fugit, & à domino justè etiam retrahi potest, & castigari. Reus ut dilabatur licitè carcere effracto fugit, justæ tamen pœnæ subjicitur retractus &c.

130. Infero primò eisdem Christianis captivis est licitum apud Turcas comportare sarcinas, tormenta, cæteraque arma convehere ad injustam obsidionem urbis Christianæ, ibi erigere propugnacula, scalas pro assultu applicare, tenere, humeros assilientibus supponere, præbere instrumenta pro conflictu ut evitent mortem, aliudve notabile damnum, ita Mal. de Just. D. 115. *Conclus.* 2. Less. lib. 2. c. 13. à nu. 28. & c. 9. nu. 122. propter rationem proximæ quæstionis. E contra tormenta dirigere, & his applicare ignem est malum intrinsecè tale, à quo nec mortis metus excusat, Less. cit. nu. 122. Sanch. num. 18.

Dubium est an Christiani in dato casu mandantibus Turcis valeant Christianis nocere in bonis externis, hæc destruere,

rapere, asportare ad triremes? & si ita, an obligentur postea si possint restituere spoliatis. Ad primum videtur negare Less. c. 13. num. 30. loquens de rusticis prædas militares avehentibus, quos etiam sapius excusatos agnoscat, dum coguntur prædas injustas avehere, aut pecora sublata deducere, quocunque tamen metu domum alienam perfringant, aut per fenestram penetrant, & res foras projiciant aut abigant, pecora è stabulo, eos peccare contra justitiam affirmat, nisi id faciant animo compensandi. Unde colligitur eundem sentire, quod si exequantur, teneatur restituere.

Respondeo ad primum cum Mol. *Conclus.* 5. affirmativè, quia extremam patientem necessitatem potest quisquis de bonis externis proximi tantum accipere. Quantum est necessè pro conservanda vita, ergo etiam tantum damni inferre.

Ad secundum idem loco citato de rigore juris eos onerat obligatione restituendi, regulariter tamen deobligat.

Ego censeo distinguendum: eos qui nihil habent re, necesse, deobligari, censeo enim, tunc ex justitia teneri succurrere alios potentes pro tradita in *Dissertationibus de justitiâ num.* 306. estque sententia Cajet. 2. 2. q. 118. art. 3. & 4. S. Th. de malo q. 13. a. 2. ad 4. & cit. 118. a. 4. ad 2. apud Vasq. *opusc. de eleemosyn. c. 1. dub.* 5. talesque deobligat: etiam Lug. de just. D. 16. num. 171. si autem habent media, censeo cum Vasq. *dubit.* 6. à num. 51. patientes damnum in rebus sive usu consumptibilibus, sive non consumptibilibus, non teneri donare, sed usum concedere titulo mutui, tales enim non sunt simpli-

citer

citer extremè egentes, sed pro hoc tantum loco, ergo non habent jus sibi appropriandi sine onere restitutionis, nec damnum patientes obligationem gratis dandi.

Infero secundò cum Less. *c.* 13. *num.* 29. eum, qui justo metu compulsus à furibus scalas applicat, instrumenta præbet ad portas perfringendas, juvat

murum conscendere, juvat asportare sublata, pecora abigere, non esse furti, seu injustæ operationis participem, actio enim illius est indifferens prout ab eo procedit, supponitur enim, quod ille nihil auferat, sed à furibus sublata alio transfert. Vide *n.* 127.

\* \*  
\*

## §. XVI.

### De solutione Maleficij.

131. **Q**uaritur tertid, an licitè quis petat actionem alterius non malam, quam prævidet exercendam ab altero cum peccato, dum illam exercere potest sinè peccato, Constat *ex num.* 120. fas esse stantibus tribus conditionibus cooperari materialiter operi, quod peccatum est, nempe ex parte abufuri, nunquam tamen licere cooperari formaliter alterius peccato, seu ut peccatum est. Inter conditiones illas tres est una, nempe causa justa petendi actionem, & altera quod nunc non tenearis omittere petitionem.

Respondeo igitur cum Laym. *lib.* 2. *tr.* 3. *c.* 13. *num.* 4. & communi Theologorum affirmativè, quia stantibus tribus conditionibus, nempe quod id, quod petitur non sit malum, & causa petendi justa, nec obligatio omittendi petitionem, petens nullum dat scandalum activum, seu non est datum sed acceptum.

Infero ergo primò licitè peti à malefico solutionem maleficij, quando ille scit modum licitè solvendi non solum dum est probabile quod modo licito sit soluturus, aut de hoc dubitetur, sed probabilius, etsi certò constet eum modo illicito usitum, Sanch. *lib.* 7. *de matr.* *D.* 95. *num.* 12. & *lib.* 2. *Decal.* *c.* 41. *num.* 13. Less. *lib.* 2. *de Just.* *c.* 44. *nu.* 46. Soarez *tr.* 1. *de Relig.* *lib.* 2. *de superstit.* *c.* 18. *num.* 9. ob rationem ad responsum, ex hac ratione per omnes licitè petitur mutuum ab usurario, Juramentum ab infideli, etiam dum certum est illum exacturum usuras, hunc juraturum per falsos DEOS. Duo tamen observanda cum Sanch. *num.* 15. circa maleficium, unum est ut maleficus rogetur, ut modo licito procedat, quando spes est, quod vitabit illicitum, alterum verò si maleficus nolit mederi absque cooperatione maleficiati, aut si petat quid ab hoc vanum, tunc enim nulla huic vis in-

est

est, nisi ex pacto dæmonis, cui nunquam cooperari valemus.

132. Inferes secundò licet cessatio à malo sit in se bona, nunquam tamen potest ea peti à Dæmone, rogatio enim illius est quidam cultus ejusdem, & cum illo societas intrinsecè mala: & quidem non potest fieri etiam imperando Dæmoni, nisi DEI nomine, ut fit per exorcismos, Dæmon enim imperanti sinè DEI nomine non subicitur, Sanch. cit. D. 95. num. fin. Soarez num. 5. & 8. qui num. 5. & Sanch. cit. c. 41. num. 17. monent cautè esse intelligendum. Less. num. 45. ubi ait licitum esse à Dæmone verbo petere, ut desinat nocere, dummodo id non petatur deprecando, verùm cum parum differant, petere & deprecari, dictum Lessij ut verum sit, procedit de petitione per modum objurgationis, & contemptus e. g. dicendo: abi hinc, cessà malè facere.

Inferes tertio etsi maleficus sit paratus, nunquam potest ab eo peti, ut maleficium maleficio solvat, foret enim petitio mali: nec in casu, quo dubium est, an novit medium licitum solvendi, quia tunc est practicum dubium, an solutio possit licitè fieri, cum quo dubio est operatio turpis, Sanchez cit. c. 41. num. 5. & 7. Soarez num. 8.

Inferes quartò licitum esse cuivis amovere, destruere signa malefici, amotionem, aut destructionem petere, est communis apud Sanch. num. 19. & lib. 7. Matr. D. 96. num. 3. Less. lib. 2. c. 44. à num. 36. contra Joan. Hessels Lövan. Doctorem, negantem licere animo recuperandæ sanitatis, sed irridendi vanitatem rerum, in quibus situm est maleficium.

Ratio: quia ratio, cur non liceret, esset maximè hæc, quod amotio signorum esset tacita Dæmonis invocatio, sed non esset; non ex naturâ rei, ut per se patet, non ex intentione amoventis, aut petentis amotionem, quia non intendit, ut dæmon aliquid operetur, sed intendit effectum purè privativum, nempe ut Dæmon cesset nocere, quod licitum est expectare, sicut licita est expectatio Dæmonis fugæ ex Energumeno, & ut cesset tentare nos. Nec amovens signum est pactus cum Dæmone ut amoto signo cesset nocere.

Si fortè maleficus seu magus pactus est cum Dæmone duplex incundo pactum, unum nocendiposito signo, alterum desistendi eo amoto, adhuc amovens se huic pacto non immiscet, nec ei consentit, etsi sciret esse duplex, & non simplex (quale communiter est nempe præcisè ad nocendum) nam amovendo non intendit Dæmonem inducere, ut servet pactum secundum, sed intendit amotionem, aut destructionem, quo amoto solvitur pactum, primum de nocendo. Less. num. 39.

133. Dices, petens amoveri signum, aut amovens expectat effectum non à causa naturali, aut voluntate humana, aut Divinâ per miraculum, ergo à Dæmone; ergo est expectatio superstitiosa, expectansque perinde se habet, ac si diceret, en amoveo signum, præsta, quod promissisti. Secundò non licet amovere signum, ut Dæmon gravius noceat amoventi, aut maleficiato, aut ut damnum redundet in maleficum, atqui unum horum sequitur, quia dæmon sponte nunquam cessat nocere corpori, nisi ut gravius

vius noceat alicui in corpore, aut animâ. Tertiò si fas est amovere signa, cum pilis adherere possint signa magica, quibus sagæ reddantur in tormentis insensibiles, iudices licitè ante torturam possent mandare abradi capillos, & pilos sagarum, hoc autem est superstitiosum. Ita Franc. Victoria *Relectione de magia num. 16.* Quartò si non est peccatum amovere signa magica, ut desinat nocumentum Dæmonis, etiam non erit culpa ponere alia signa, quibus positum pactum Dæmonis expiret, hoc enim non est ponere signum peccati novi, sed inversio primi; etsi ex ipso Dæmone fuisset rescitum, quod ad positionem alicujus novi signi, vetus signum non ampliùs aliceret ad nocendum: exempla adducit Less. *num. 45.* si venefica te tangit, nocet, at si mox eam repercutias, non nocet, idque, vel quod Dæmon statuit tunc non nocere, aut non ponatur signum, quale vi pacti requirit. Item si quis est maleficiatus à saga, dicitur maleficium cessaturum, si maleficiatus det illi panem, & salem, aut ab illâ panem accipiat, sed hæc videntur fieri non posse sine superstitione, & ope Dæmonis, quis enim scire potest Dæmonem cessaturum nocere ad posita talia nova signa, nisi scientia hæc communicetur à Dæmone, discere autem à Dæmone & hujus scientiâ uti non licet.

134. Respondeo ad primum cessare nocere est effectus purè privativus, quem à Dæmone expectare possumus sine ulla superstitione, cum sine pacto multa quotidie facimus, ne nobis ille noceat, ut benedicendo domos, gestando Reliquias, unde negatur quod hunc effectum expectans à Dæmone dicat, en amoveo signum,

R. P. Karch, Diss.

præsta, quod promisisti, sed potiùs dicit, rescindo signum, & pactum, quod statuisti ad nocendum.

Respondeo ad secundum concessâ majori. Nego minorem: ad hujus probationem dico hoc intendere Dæmonem, at nego illum semper consequi, estq; in nostra potestate, nè animâ noceat, si amoto signo amotio redundet in damnum malefici vi pacti initi cum isto, adhuc licitè amoveatur, removens enim per se sibi, aut alteri maleficiato consulit, quod per accidens se habet respectu ejusmodi damni, sicut removens signum prodictionis urbis si remotio redundet in damnum proditorum, id sequitur præter intentionem removen- tis: & sicut prodictionis cessatio non est beneficium proditorum, ita quod amoto maleficij signo illud cesset: non est beneficium Dæmonis, Sanch. *cit. D. 96. n. 5.* Less. *num. 41.*

Respondeo ad tertium cum Sanch. *num. 6. ad 5.* & Less. *num. 44.* concessâ majori nego minorem. Victoria non loquitur de nostro casu, sed de expulsionem Dæmonis ex Energumenis fieri consueta per gratiam gratis datam, ad quam expulsionem nihil conducit rasura pilorum, at bene in nostro casu, cum in pilis signum maleficum nocere possit, uti etiam in corpore fortè inuncto, idcirco licita etiam est ablutio cit. Sanch.

Respondeo ad quartum concessis cum Less. *num. 45.* cæteris nego hoc fieri non posse, nisi ope Dæmonis positivè operantis, nihil enim operari debet, sed cessare ab actione maleficiato noxia. Omnino nefas est ex Dæmone rescire, in quo signo consistat maleficium ut possit destrui, & proinde maleficus ignorans signum nequit

N


quit

quit induci, ut investiget: caret tamen omni culpâ postea usus scientiæ, postquam illicitè quis eam à Dæmone acquisivit, quia ad ejus usum non concurrit Dæmon. Sanch. n. 4.

Ex hoc responso patet rectè tradi à Sporer *tr. 5. in 5. precept. Decal. c. 1. n. 79.* nihil superstitionis subesse positioni signorum, etsi à Dæmone institutorum aut indicatorum, dum sic solum impeditur maleficium à Dæmone causandū vel continuandum, ubi etiam permitti ait à Dōctis praxim militum, qui ut solvant maleficium congelationis, gladio ter impungunt, & tribus crucibus formati: in aere dicunt: *DEUS est fortior Dæmone in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti certo semper effectu.* Ratio videtur valere allata, quod cū nihil debeat Dæmon operari, sed congelato non ampliùs assistere positivè, non sit necessarium ullum pactum cum Dæmone.

Idem Sporer *tr. 2. in 1. precept. Decal. c. 9. num. 41.* resolvit, quod rusticus ille nihil supersticiosum egerit, stans supra locum, in quo noctu senex quidam infoderat thesaurum artibus magicis à Dæmone custodiendum, eâ condicione, ut nullum sinat eum tollere, nisi stans in eo loco se bonâ pulve reficiat, vinumque hilariter bibat, rusticus non procul inde jacens pactum hoc audiverat, mox mane adest cum pulve, & vino, manducat, & bibit; nihil inquam supersticiosum egerit, sic enim duntaxat posuit signum contrarium, ad quod non tenebatur Dæmon ampliùs custodire. Utrum autem tollendo thesaurum violaverit justitiam, non est hujus loci discutere, rectè autem affirmativam insinuat *num. 49.* in simili, senex enim fuerat verus Dominus thesauri.

\* \*  
\*



## §. XVII.

### *De Petitione, & Receptione Sacramenti à Ministro Indigno.*

135. **Q**uaritur quartò an sit licita receptio, & petitio Sacramenti, ab indigno ministro, seu constituto in peccato mortali. Hanc questionem fusè disputat Eximius P. Soarez. *in 3. p. 20 3. D 18. Sec. 1.* apud quem magno pere variant. D. Th. & Scot. Adrian. & Cajet. pro decisione sunt quedam prenotanda.

Prenotandum primò: potest quis dupliciter prohiberi petere à ministro Sacramentum. Primò directè, nè petat ab eo, qui seclusâ prohibitione haberet jus dandi, taliter prohibentur fideles petere à Ministro censurato, præsertim Excommunicato excommunicatione majori, quia per censuram hanc est directè vetita cum

68.

excommunicato communicatio maximè in factis, & Sacramentorum participatione. Secundò indirectè ex generali obligatione vitandi scandali, proinde non cooperandi ruina spirituali alterius.

Prænotandum secundò jure antiquo temporibus S. Th. omnis Excommunicatus majori excommunicatione, fuit vitandus ab omnibus, seu fuit non toleratus, ac hæc prohibitio est post Concilium Constantiense mitigata, ac restricta, ad solum nominatim excommunicatum, ac denunciatum, vel ad manifestum percussorem Clerici, qualis censendus est solus ille, cujus factum nulla tergiversatione celari potest, aut juris suffragio excusari. Hodie ergo nullus excommunicatus, nisi nominatenus excommunicetur, aut denunciatur, aut notoriè percusserit Clericum, vitari debet, sed toleratur.

Prænotandum tertio, quod Martin. V. in Extravagante ad *evitanda*, concesserit fidelibus, hos in re nulla obligari vitare toleratos excommunicatos, proinde quantum est ex vi præcepti Ecclesiastici non prohibentur à tolerato ministro petere Sacramenta, & hic etiam pro tunc licitè ministrabit, concessio enim uno relativo conceditur communiter alterum, atque adeò cum sit necessaria jurisdictio, pro eo casu Minister excommunicatus toleratus non censetur eà privatus. Nihilominus rogatus, ut ministret, debet mittere ad alium non censuratum, nisi priùs possit, & velit absolvi à Censurâ, vel si alius desit Minister, debet proponere se petiturum absolutionem; unde cum ad licitam administrationem nihil obstat, nisi censura, si petens prudenter credat, quod antequam ministret, sit ab

ea liberandus, liberrimè petet ab eo Sacramentum, etsi adsint alij ministri non ligati, & nulla subsit causa specialis. Quia tamen dictum privilegium directè est conditum in favorem solum fidelium, indirectè verò duntaxat in favorem ministri, idcirco hic per hoc adhuc manet obligatus petentem mittere ad alium ministrum, si hic æquè satisfaciet. Unde sequitur, quod nunquam se possit sponte ingerere, quia pro tunc est privatus jurisdictione, aliàs directè favoriseret illi Extravagans Martini.

136. Respondeo primò nunquam potest peti Sacramentum ab eo, qui illud præstare non potest sinè peccato, ut si defectu jurisdictionis, aut ordinis nequit validè conficere. Ratio, quia petitio esset inductio in peccatum. Hinc ab Excommunicato vitando extra casum extremae necessitatis non potest peti absolutio defectu jurisdictionis, quam, quia recuperat in extrema necessitate, possunt tunc ab eo peti Sacramenta non tantùm necessaria ut Baptismus, & Pœnitentia, sed etiam valde utilia ut Evcharistia in hora mortis (nisi recepta foret scandalosa, & evaderet in contemptum Catholicæ Religionis, propter quam causam sanctus Hermenegildus recusavit Evcharistiam accipere ab Episcopo Ariano) secus Extrema Unctio, nisi in defectu caterorum Sacramentorum, quia tunc est valdè utilis: & præcepta Ecclesiæ non obligant cum valdè notabili incommodo, & ideo effectus excommunicationis, quatenus impedit licitam, validamque collationem Sacramentorum cessat. *Dicastill. de Sacram. tr. 1. D. 3. num. 305. & tr. 8. de Pœnit. D. 10. dubit. 13. & 14. & de Cens.*

*Cens. 11. 10. D. 2. dub. 32. & 41.* Cur Extrema Unctio, nisi deficient cetera Sacramenta, nequeat peti, sed Eucharistia est disparitas, quod Eucharistia sit plurimum utilis, Sacramentum præstantissimum, & ex maximis naturâ suâ roborativis.

137. Respondeo secundo ab Excommunicato tolerato potest ex necessitate peti Sacramentum, & quidem si creditur administraturus sine peccato, sufficit utilitas Sacramenti, aut quia petenti placet potius ab eo, quam ab alio præfente petere, ac recipere Sacramentum. Sola tamen utilitas Sacramenti non sufficeret, dum esset ministraturus in peccato, priusque non paratus, aut non obligatus ministrare, sed respectu talis major causa poscitur, sufficeret autem necessitas implendi præcepti Ecclesiastici, vel utilitas non differendi nimis diu Confessionem, aut Communionem. Loquendo autem de Ministro ex officio obligato, vel non obligato, parato tamen sufficit sola utilitas Sacramenti, in defectu Ministri, qui sine peccato ministraret, ita Soarez *Vers. dixi autem*: in cujus principio non exigit necessitatem etiam gravem, aut præcepti implendi.

Ratio primæ partis de ministraturo sine peccato est evidens, cum is usus sit jurisdictione sine peccato petens non eget speciali causa.

Ratio secundæ partis de ministraturo in peccato, non sufficere solam utilitatem, sed requiri aliqualem necessitatem, aut quid æquivalens huic (uti est carentia diuturna Sacramenti) ratio inquam est ex generali regula Charitatis de vitando gravi scandalo in proximo citra grave nostrum

incommodum, atqui non est grave incommodum carere utilitate Sacramenti ad modicum tempus, ergo sola carentia utilitatis ad modicum tempus non sufficit, nisi sit insuper necessitas, aut longior carentia utilitatis.

Ratio partis ultimæ est ex ratione fundamentali, quâ utitur Soarez *Conclusionem 1.* illam actionem recipiens Sacramentum licitè per se petit, quam Minister præstare potest sine peccato, sed ministerium Sacramenti potest præstare minister sine peccato, in quo si ministrabit, peccabit ex propria malitia, ergo recipiens Sacramentum licitè per se petit ab illo Sacramentum saltem ex aliqua causa rationabili, qualis est utilitas Sacramenti, nam ex officio obligatus obligatur semper ministrare petenti, consequenter semper esse vi officij rite dispositus, ergo sola utilitas mihi facit licitam petitionem, sicut & respectu Ministri non obligati, at jam parati, esto iniqui, quia tunc mea petitio non est inductio; nec cooperatio, imò vix aliqua occasio ruinæ: quia jam cecidit utpote jam paratus, Soarez *vers. secundo infero*

138. Dices cum Soarez etsi petitio ex objecto sit semper bona, ex circumstantia tamen est semper mala, quia datur proximo occasio ruinæ, seu fit cum scandalo. Respondeo cum eodem negando quod semper sit mala ex circumstantia proximi, seu ministri in peccato ministraturi, sed aliquando petitio est scandalum activum, & occasio ruinæ data moraliter, aliquando vero est scandalum pure passivum, & occasio tantum permissa, seu à ministro accepta. quando autem isto potius modo contingat, quam illo, aut

contra, do regulam sequentem cum Soarez *vers. dices quamvis* approbatam ab Arriaga, de *Sacram. D. 20. num. 19 & 20.*

Regula hæc servanda est fundata in generali obligatione ex ordine charitatis vitandi ruinam proximi, nempe quod eam teneamur vitare, si commodè, & sine magno damno possumus, licet ex malitia, aut fragilitate peccabit, secus si citra grave incommodum, aut damnum non possumus declinare peccatum proximi. Ex hac Regulâ.

Infert Soarez non valere duas aliorum Regulas, quarum prior distinguit inter ministrum obligatum ex officio, & ministrum sponte suâ ministrantem, posterior inter ministrum paratum, & non paratum ministrare: neutra regula sufficit, quia vi nullius regulæ potest universim affirmari, aut negari de ministro, quod licet petatur ab eo Sacramentum, nam vi primæ etiam in obligato ex officio ex charitate peccatum est impediendum sine nostro incommodo (ut si alius adsit minister sine peccato daturus) est enim constitutus in aliquali necessitate, non physicâ, sed morali indigentia, & miseria. Similiter non semper culpabiliter petitur à ministro iniquo non obligato, videlicet in gravi necessitate, nam hæc justificat petitionem, quin sit occasio data, sed permiffa, ac accepta ruina, uti in periculo mortis petatur Baptismus, aut pœnitentia, aut Eucharistia, imò etiam Extrema Unctio in defectu reliquorum Sacramentorum.

Regulam secundam etiam non subsistere universaliter ostenditur, & quidem non respectu parati: dupliciter enim quis potest esse paratus, habitualiter, & actu-

aliter, habitualiter paratus dicitur, qui actu non cogitat de peccato, est tamen ita dispositus, ut si ei offeratur occasio, peccabit, ab hoc posse peti licetè passim negant Theologi sine urgente necessitate, quia petitio tunc foret positiva cooperatio ad peccatum, aliàs non futurum: Paratus actualiter est is, qui actu habet voluntatem ministrandi indignè; ab hoc similiter petere esse universim licitum dici non potest, estò enim actu peccet intrinsecè, non tamen externè consumabit, nisi petas, ergo petitio tua indirectè cooperatur consumationi peccaminosæ, Soarez *Sec. 2. Conclus. 2. Tamb. lib. 5. in Decal. c. 1. §. 4. num. 68. Pal. 10. 1. tr. 6 D. 6. p. 10. num. 5. citans Sanch. lib. 1. Decal. c. 7. num. 15. &c. ac explicans S. Th. 2. 2. q. 78. art. 4. simpliciter asserentem à parato peti posse, quod sit intelligendus de petitione rationabili, seu facta ex causa justa.*

Dum requirimus necessitatem vel utilitatem, ut petitio Sacramenti à non parato sit à culpa immunis, non est necesse ut sit extrema, aut valde gravis, aut necessitas implendi præceptum Divinum, sed poterunt sufficere causæ minores, sicut sufficiunt in alijs humanis actionibus obtinendis, minus utilioribus, quàm sint Sacramenta, ut dum petitur juramentum à pejeraturo, mutuum ab usurario etiam à non parato, etsi non interveniat magna necessitas sed utilitas Sacramenti, Soarez *vers. Dixi autem*, intellige de utilitate respectu actualiter parati etiam non obligati, imò etiam de non parato obligato per *num. 137.*

139. Respondeo tertio ad questionem quartam *num. 135.* propositam à  
N 3 nul-

nullo ministro non excommunicato etiam actualiter parato potente dignè, sed indignè ministratum potest sine causâ rationabili peti Sacramentum, constat hoc ex proximè dictis *vers. Infert.* Soarez. Confirmatur, quia nulli debemus injicere laqueum, *lan. de viduis. 2. 37. q. 1. & Matth. 18. ve homini per quem scandalum venit.*

Ex causâ verò rationabili nimirum necessitatis, vel utilitatis juxta explanationem *num. 137. & seq.* licet peti potest Sacramentum à ministro iniquo potente ministrare licetè, etsi non sit paratus; si tenetur ex officio, sufficit sola utilitas (augmentum enim gratiæ est petenti valde utile) uti etiam sufficit respectu ministri non obligati actu parati, secus si non sit actu paratus. Totum hoc colligitur ex *num. 137. & seq.*

Observat cit. Arriaga *num. 22.* ut necessitas excuset à peccato petentem suf-

ficere etiam minorem, quam sit necessitas gravis, vel implendi præceptum confessionis, aut communionis, ut si minister dignus sit valdè morosus, vel indoctior, & ideo minus satisfactorius proponendis difficultatibus, vel notabiliter minus directurus, vel inster lucrum indulgentiarum, aut esset diu] Sacramentum differendum, aut est festum solenne, quo consuevi sumere Eucharistiam, aut addit Sporer *Theologia Sacramentalis pass. 1. c. 3. num. 179.* si indigeas sacro pro defuncto amico: & ex Gobat. *tr. 1. num. 265.* resolvit, quod videns turpissimè paulo ante jocantem cum puella, aut horrendè blasphemantem, adhuc possit ei offerre infantem baptizandum, aut sua peccata confiteri, præsumi enim potest, quod sit præmissurus contritionem, confessio enim ad horum administrationem non est necessaria.

\* \*



## §. XVIII.

*De ministro qui indignum invitat, aut ei ministrat Sacramentum. Ubi, an minister sciens indignitatem petentis Eucharistiam ex sola confessione possit eam negare sine revelatione confessionis.*

140. **Q**uæres quinto an minister Sacramenti possit licite ministrare Sacramentum indigno, aut etiam hunc invitare ad susceptionem. Supponendum est, quod minister debeat esse fidelis dispensator *ex 1. ad Corinth. 4. id-*

circo ex charitate in proximum, ac ex Religione in Sacramenta, horumque Authorem teneri impedire, nè quis indignè suscipiat Sacramenta, si commodè potest, id est, ut explicat Arriaga *cit. D. 21. num. 1.* si sine damno proprio

prio, sine infamia alterius, sine ullo scandalo.

Respondeo nunc primo: Minister non potest licite invitare scientes indignum ad receptionem, quando dignè non potest suscipere, non enim esset fidelis dispensator sed ageret contra charitatem scandalizando, & sacrilegè adversus Religionem. *Dando sanctum Canibus, & mittendo margaritas ante porcos contra mandatum Christi. Matth. 7. v. 6.* Licet è contra invitare, potentem suscipere licitè, exemplo Christi invitantis Judam cum cæteris Apostolis ad Eucharistiam sumendam. Ratio quia invitatio hæc erat actio honesta, quamque Judas poterat honeste exequi se convertendo, confessio enim nondum fuerat præcepta: eratque causa rationabilis eum invitandi, nè infamaretur citat. *Arriag. nu. 2.*

Populus, ut die festo audiat sacrum in defectu probi sacerdotis licitè invitat indignum, quia inductio non est intrinsicè mala, potestque se disponere per confessionem, vel in defectu Confessarij per contritionem, *Soarez cit. Sec. 2. in fin.*

141. Respondeo secundò nunquam potest minister per se loquendo ministrare Sacramentum scienter indigno, hoc enim est cooperari peccato contra charitatem, & Sacrilegio suscipientis contra Religionem *per num. 140.*

Dixi *scienter indigno*, seu peccatori, quia non sufficit levis suspicio, imò nec probabilis de indignitate, at bene violenta, ita *Soarez to. 3. in 3. p. D. 67. Sec. 6.* loquens de Eucharistia. Ratio primi, quia levis est imprudens, ac temeraria. Ratio secundi, quod proba-

bilis suspicio sit, quæ sufficit ad gignendum dubium de dignitate recipientis non tamen ad formandum absolutum judicium de ejus delicto, sed hoc ipso negari non potest, quia in dubio est melior conditio possidentis, & quamdiu quis non sufficienter probatur malus, præsumendus est bonus, si dicas, Sacramentum habet jus, ut tractetur dignè. Respondeo cum *Soarez* dantem nihil agere contra hoc jus etsi fortè recipiens tractet indignè, cum enim indignitas ministrantem lateat, ei nequit imputari, quia recipiens habet jus certum, quo non potest spoliari ad delictum dubium.

Ratio tertij de violentà suspicione est, quod hæc tollat famæ jus, æquivalet enim morali certitudini, eamque generat, nam innititur talibus conjecturis, quæ non patiuntur judicium probabile de contrario: exemplum passim ponunt in eo, qui repertus est nudus cum nuda, hoc signum fundat violentam suspensionem fornicationis.

Potest autem suspicio violenta esse publica, ist est, per multorum ora sparsa, aut occulta. Ut publicè negetur Eucharistia, suspicio violenta debet esse publica, *Maurus. to 13. q. 170 nu. 21.*

Verùm etsi passim DD. Juristæ & Theologi tractent, quando censendum sit delictum publicum, notorium, manifestum, famosum, aut occultum, pauci tamen distinctè in hac quæstione, an, & quando indigno petenti Sacramentum debeat denegari, procedunt?

Conveniunt omnes, quod publico peccatori, sive publicè sive occultè, & occulto occultè petenti sit denegandum, nisi prior de delicto publicè signa pœnitentiæ

sententiæ dederit, aut si publicè dare nequir, publicetur illum respuisse ad tollendum scandalum, ob quam rationem illi publicè dari non potest, præberet enim minister occasionem de se malè sentiendi, reverentia verò debita Sacramento universaliter probat non dandum ulli ex istis, licèt enim cesset ratio scandali, non tamen cessat Sacrilega tractatio.

Item certum est, quod occulto occultè petenti non possit recusari ministratio Eucharistiæ, Ordinis, Extremæ Unctionis, Matrimonij, Confirmationis, quando indignitas scitur unice ex confessione Sacramentali, ob inviolabilitatem sigilli, licèt aliàs periculum mortis imminet ex denegatione. Adhuc tamen ex his non est liquidum, qualiter ly *publicum* in ista quæstione sit sumendum.

142. Ad hanc quæstionem in hæreo Eximio Doctore Soarez *cit. D. 67. de Eub. Sec. 5.* distinguenti varios gradus occulti, & publici. Peccator occultus tripliciter dicitur, primò quando solus Sacerdos novit delictum. Secundò, si unus, vel alter novit certò delictum, apud alios autem laborat publicà suspitione, aut rumore, aliquaquè inde ortà infamiâ, quo casu dicitur delictum famosum. Tertiò si sit scitum, seu notum tribus, aut quatuor, adhuc censetur in gradu occulti, vocatur autem probabile, quia sufficienter probari potest in foro externo.

E contra publicum delictum, proinde publicus peccator bifariam esse potest, nempe, vel evidentiâ juris, aut facti: primo modo fit quis publicus peccator juridicè convictus de crimine per propriam con-

fessionem, vel post legitimam testimoniæ probationem, per sententiam, & declarationem judicis. Evidentiâ facti fit publicus, dum factum est pluribus notum.

Quod autem personis oporteat innotuisse. DD. variant, nam Adrianus poscit decem, quia pauciores non constituunt populum. Navar. cum Sylvest. est contentus sex, totidem enim sunt major pars populi conflati ex denario, qui sufficit, ut communitas dicatur populus: S. Thomas teste Soarez in præsentia materia illud duntaxat delictum vocat absolutè publicum, & notorium, quod nulla tergiversatione potest celari, *ex C. quastum, & C. tua nos de Cohabit. Cleric. & mulier.*

Nunc respondent citati Doctores absolutè negari non posse Eucharistiæ publicè petenti, nisi delictum sit publicum publicitate, juris, vel facti, nullâ tergiversatione celabilis.

At melius distingit Soarez, quod Peccator dupliciter possit esse publicus: vel respectivè, vel absolutè. Respectivè publicum desumitur ex comparatione factâ ad modum, quo petit Sacramentum, nempe dum est tam publicum ejus peccatum, quam petitio Sacramenti, ut si non norunt illud (quod aliàs est absolutè occultum, ut si innotuit duobus tantum, vel tribus) coram quibus petitur.

Absolutè publicum vocat, quod est notum multis notitiâ juris, aut facti, cum hac publicitate stare potest ignorantia delicti in præsentibus petitionibus.

Hac datâ distinctione tria concludit, primò si est absolutè publicum publicitate juris, aut facti negari debet, etsi præ-

sen-

sentibus omnibus sit ignotum, quia nulum habet jus petendi etiam coram his horum enim ignorantia non dat peccatori jus amissum.

Secundò ut denegari possit, satis est publicitas respectiva, quia hæc efficit cessare infamiam, & scandalum.

Tertio in casu, quo, vel omnes, aut aliqui presentium ignorant delictum, nequit denegari extra casum, quo est publicum publicitate juris, aut facti, quia extra hunc casum delictum non est publicum absolute, uti supponitur, nec respectivè, seu respectu presentium, supponuntur enim aliqui presentes ignorare, & simul deesse publicitas delicti, ergo ad summum est probabilitas delicti, sed probabilitas delicti non facit publicum, quamdiu autem non est publicum, habet jus Sacramentum petendi publice, donec probetur in iudicio, seu fiat publicum.

Ex prima conclusione deduco: quod ejusmodi peccatori juridicè publico in uno loco possit, debeatque denegari Sacramentum, petenti in alio loco, in quo ignoratur delictum. Ratio, quia denegatio non est contra iustitiam, ob amissum omne jus in famam, nec contra charitatem, nam dum petens est indignus jus charitatis cessat, eò quod se irrationabiliter ingerat sponte, atque adeò prævalet reverentia Sacramento debita, supponitur nondum emendatus. Deductio hæc est Soarij *Conclus. 3.* contra Less. Dicastill. pleròsque damnantes mortalis contra charitatem, quando tardè, aut nunquam permearet infamia ad eum locum.

143. Sufficitne Ministro aut censeatur non conferre indigno, quod illi non

*R. P. Karch, Diss.*

constet indignitas petentis, vel verò obligetur minister ante ministrationem præmittere examen de dignitate recipientis, & quantum illud esse oporteat, hoc autem videtur nimis onerosum, ac contra regulam *c. fin. de præsumpt. primà facie præsumitur idoneus, nisi aliud in contrarium ostendatur.*

Difficultati eximius Doctor Soarez *cit. D. 18. sec. 2.* satisfacit dicendo etsi in omnibus verum sit, quod omnis homo, quem non constat esse malum, sit præsumendus bonus, attamen, ut hoc iudicium præsumptionis feratur, prudentia sit necessaria circa quodvis Sacramentum, juxta cujusvis naturam, aut conditionem, proinde regula universalis statui non potest, quanta diligentia sit necessaria, ne margaritæ ante porcos projiciantur.

Sic natura Baptismi adulto conferendi postulat notitiam fidei, ac dispositionem tollentem obicem gratiæ regeneranti: ideo minister tenetur inquirere de fide baptizandi, hujusque morali diligentia circa dispositionem. In Evcharistia, & Confirmatione publice conferendis satis est non esse in mortali, quæ præsumptio formanda est, dum de opposito non constat, in Sacramentis, quæ ex universali Ecclesiæ praxi conferri non solent sine prævio examine, ut Ordo, Extrema Unctio, Confirmatio uni, vel alteri privatum conferenda (in solemni collatione non solet fieri) etiam de non suspectis solet examen præmitti. In Ordine, & Matrimonio inquiretur de moribus, vita & impedimentis. In extrema unctione de præmissa penitentia, & viatico. In horum autem defectu de modo piè vivendi. In

○

Pœni-

Pœnitentia, cum sit instituta per modum  
judicii accuratius examen spectat ad mi-  
nistrum utpote judicem.

144 Ex n. 141. resolvitur: per se  
loquendo nequit e.g. Cajo offerri matri-  
monium scienter, ac indignè id contra-  
cturo. Quia cum conjuges sint ministri  
hujus Sacramenti, offerens matrimo-  
nium vellet indigno ministrare hoc Sacra-  
mentum, etsi enim probabilis opinio ex-  
cuset à peccato mortali conjuges ut præ-  
cisè ministri sunt in statu peccati mortalis  
contrahentes, omnes tamen damnant  
mortalis, ut recipientes. Sanch. *lib. 2.  
de matr. D. 6. num. 3.* Imò proba-  
bilius est, quod etiam ut ministri eun-  
dem reatum contrahant per tradita in  
*tract. Canonist. de matr. num. 101.  
vers. Inf. 4.* Quia gravitas culpæ in mi-  
nistro non desinitur ex consecratione,  
seu deputatione ministri, sed ex eo, quod  
conficiens Sacramentum etiam ex non  
officio agut nomine principalis sanctissimi  
DEI, & Christi exerceatque actionem  
sanctissimam nempe Sacramentalem per  
se tendentem ad effectum sanctissimum,  
qui est gratia sanctificans, ita Bernal.  
*de Sacram. D. 17. sec. 6. §. 1. & 2.*  
Lugo *de Sacram. D. 8. num. 149.* con-  
tra multos mortalitatem peccati desumen-  
tes ex ministri consecratione, aut depu-  
tatione Ecclesiæ cum Soarez *de Sacram.  
D. 16. sec. 3. & 4.*

Quapropter mulier scienter contra-  
hens cum viro voto Castitatis obstricto  
est particeps sacrilegæ promissionis à vi-  
ro oblata, ac ab ea acceptatæ, accepta-  
tio enim hæc est DEO injuriosa *Can. nos  
novimus 17. quest. 2.* Sanch. *lib. 7. de  
matrim. D. 11. num. 11.* Nihilomi-

nus talis mulier tenetur reddere debitum  
exigenti, si exigentem à proposito non  
possit retrahere, Laym. *lib. 2. tract. 3.  
c. 13. num. 4. vers. nunc probatur.*

145. Quid censendum de matrimo-  
nio Catholici cum hæreticâ, an licitum  
sit, atque adeo sinè peccato ministretur.  
Respondeo per se loquendo Catholicum  
aut Catholicam peccare mortaliter tum  
quia agunt contra Can. cave 15. 28. q. 1.  
tum quia est periculum apostasiæ præfer-  
tim in muliere Catholicâ: tum quia est  
apertum periculum prolis malæ, nempe  
in hæresi saltem in parte dimidiâ educan-  
dæ, siquidem si non expressè, saltem ta-  
cité paciscuntur, ut pars prolium acatho-  
licè educetur, quod peccatum est contra  
jus Divinum, ac naturale. Obligantur  
enim parentes juxta dictum jus instillare  
prolibus media salutis necessaria, inter  
quæ est fundamentale fides Catholica,  
Gobat. *tract. 9. num. 216.* attestans ita  
doceri ab omnibus per se loquendo.

Responsum extendo etiam ad loca  
permixtæ Religionis cum cit. Gobat n. 218.  
post Tanner. Less. aliósque Germanos DD.  
contra Sanch. *lib. 7. D. 72.* Pérez Azor his e-  
nim, cum non fuerint perspecti germanorū  
mores: non est in hac materia fidendum,  
sed prioribus attestantibus communiter  
majora mala, quàm bona oriri ex simili-  
bus nuptiis. Et ideo Gobat. *num. 220.*  
post Tanner. *tom 4. D. 8. quest. 4. n. 93.*  
monet Parochos, ne quoad possunt, si-  
nant contrahi ejusmodi matrimonia,  
nisi suscipiantur ex justa causa & nullum  
morale periculum subversionis sublit.  
Excipit Tanner. *num. 91.* approbatus à  
Gobat. *num. 222.* casum, in quo matri-  
monium Catholicæ cum Hæretico mul-  
tū

tum promoveret bonum commune, tunc enim foret licitum, & si uxor nequiret à marito impetrare educationem universæ prolis in fide Catholica, non videri illicitum adicere pactum, ut saltem pars filiorum Catholicè educetur, de cætero nihil præjudicando juri Catholicæ matris, omnimodè obligatæ ad nitendum ut proles omnes Catholicè instituatur. Responsum hoc dedi etiam *in tract. Canonist. de matrim. num. 160.*

Hinc rectè ibidem *num. 17.* decidi sponsalia inter Catholicum, & hæreticum, & multò magis Catholicæ cum hæretico. Per se loquendo esse irrita, si enim valeret eorum promissio, obligaretur uterque contrahere matrimonium, sed Catholicus, aut Catholica non potest obligari ad matrimonium contrahendum utpote sibi illicitum.

146. Gravius dubium est an minister sciens indignitatem petentis Evcharistiam ex solâ confessione possit negare citra revelationem, exprobrationemve confessionis. Prima sententia negat, quia indignitatem petentis scit, ut non homo, seu modo humano, sed ut DEUS, seu ut Vicarius DEI, & Christi. Sed hoc ipso hac scientiâ uti nequit in foro externo, in quo petens Sacramentum Evcharistiæ, habet jus petendi, ergo negari non potest, consequentia declaratur, sigillum confessionis obligat non solùm respectu aliorum sed etiam respectu pœnitentis, sed et si unicus esset præsens alius, secundùm omnes non possit negari sinè revelatione confessionis, ergo nec et si nullus præsens sit, quia hæc denegatio esset virtualis revelatio, ac locutio de confessio peccato cum petente Evcharistiam, sinè

concessa ab eo licentia loquendi de illo, eique exprobraret ipso facto peccatum.

Secunda sententia affirmat, obligatque ad denegandum, quia si denegatio Evcharistiæ tunc est actus conformis potestati clavium, nec contra sigillum, minister potest, & debet denegare, sed est conformis potestati clavium, nec est contra sigillum: est conformis, nam potestatis clavium effectus est, ut eam habens indignos repellat; non etiam esse contra sigillum probatur exemplo: Confessarius sciens ex confessione pœnitentis propositum occidendi ipsum Confessarium, si pœnitens gladium apud ipsum depositum peteret, secundùm ferè omnes posset negare, quin ageret contra sigillum, ergo etiam negare potest Evcharistiam, consequentia urgetur, etsi enim Confessarius sciat peccatum ut DEUS, seu ut minister DEI in foro Sacramentali, attamen illa scientia est in homine, proinde hoc sensu sit humana, ergo potest eâ uti, dum ejus usus non injuriat pœnitentem, nec infamat, nec scandalizat: sed non injuriat, quia re ipsa nullum habet jus petendi: non etiam infamat, cum apud alios non omittat bonam de se æstimationem, non scandalizat petentem, quod enim denegatio aliquam verecundiam in eo causet, hæc non est grave incommodum, nec irrationabile, ac injustum, præsertim cum non sit necesse pro causâ excusante illi objicere peccatum, sed causam allegare aliam, ut, quod nunc non possit commode satisfacere officio suo.

Dices dum alia causa non prætenditur, est hoc ipso quædam virtualis objurgatio, etsi enim Sacerdos non exprimat pro causa peccatum confessum, pœnitens

tamen sufficienter eam intelligit. Respondeo id concedi, verum totum hoc consistere magis in discursu penitentis, quam in denegatione Sacerdotis, & incommodum, si quod est, imputandum est penitenti petenti inique rem sacram, non Sacerdoti utenti jure suo. Instantia solutionis est in exemplo allato, in quo occasione confessionis denegatur depositus gladius.

Ob hæc Soarez *tom. 3. in p. 3. D. 67. sec. 3* per totum præfert affirmativam speculativè loquendo, moraliter tamen in praxi vix est illi locus, sed negativæ, nisi extra confessionem agnoscat confessarius peccatum, quia ut prædicari possit necessaria sunt istæ conditiones: primà ut sit certa petentis indignitas, secunda ut nullum sit scandalum, tertia absit omnis infamia, quarta omnis revelationis criminis suspicio, hæc autem omnia vix concurrere possunt.

Respondeo etsi affirmativæ speculatione defendi possit, minimè tamen praxis, uti fatetur Soarez, eumque secutus Arriag. *de Sacrm. D. 21. num. 12.*

Quam doctrinam confirmo quod omnis usus confessionis sit illicitus reddens confessionem difficiliorem, sed si in proposito dubio foret licitus usus scientiæ confessionis redderet difficiliorem confessionem, uti ex terminis constat, major est Haunold. *Theolog. speculativa lib. 4. tract. 4. num. 1031.* cum Lug. Dicastill, Arriag. &c.

147. Petes qualis notitia extra confessionem de peccato petentis Eucharistiam, aut pro matrimonij assistentia requiratur, ut licitè repelli possit. Respondet Soarez *cit. sec. 3. vers. fin.* sufficere, si Sacer-

dos vidit crimen, certusque est non esse confessum, esto probari non possit per testes, quia denegatio hæc non est propriè punitio prærequirens Judicium processum, sed prudens Sacramenti administratio, ac quædam virtualis correctio secreta, ac paterna. Idem dic, si constet ex fide dignorum testimonio de pravo statu petentis, licet testes nolint prodi contestando ad eum convincendum. Sufficere violentam suspicionem ad negandum, patet *num. 141.* quam verò occultum esse oporteat tum delictum, tum petitionem Sacramenti discis *num. 142.*

148. Sed inquires novi e.g. impedimentum matrimonij ex secreto naturali, aut juramento, possumque ac debeo negare assistentiam. Ratio pro negativa sententiâ est, quod denegare assistentiam nequeat, nisi opponat impedimentum, sed hoc opponere non potest, nisi frangat secretum naturale, ac juramentum. Respondeo affirmativè, quia secretum naturale, & juramentum non possunt obligare in præjudicium tertij, vel in perniciem irretiti impedimento, hic autem præjudicat conjugi ignoranti impedimentum, uti & futuræ proli, nocetque ipsi impedito utpote victuro in fornicatione.

At si Parochus novit impedimentum ex solâ confessione, ne assistat indigno, estne obligatus ante assistentiam à penitente petere licentiam loquendi cum ipso de re audita in confessione, ut hac obtentâ moneat eum, ut desistat. Plerique obligant eum Coninch; simulque eum adstringunt assistere; si vel neget facultatem loquendi, aut si post datam nolit desistere. Respondeo probabiliter negati-

negativè cum Sanch. *lib. 3. de matr. D. 16. num. 16.* Gobat *Theolog. Furidico-Moral c. 37. mitis à n. 23.* generatim enim confessarius ex rebus in confessione auditis non obligatur ad quidquam extra illam agendum, aut omit-

tendum, ad quod non obligetur, si confessionem nullam audivisset totâ vitâ. Ex doctrina trium proximè præcedentium numerorum subijcio quædam corollaria practica de sigillo confessionis.



§. XIX.

Corollaria fracti sigilli indirectè, seu in causâ.

149. **E**tsi materia sigilli spectet propriè ad Sacramentum pœnitentiæ, est tamen etiam objectum præsentis tractatûs cum in hoc instruendus sit studiosus Theologiæ, quando effectus prævisi in causam imputari debeant eam ponenti. Unde cum sæpe ex actione, aut omissione confessarij possit sequi revelatio peccati confessi, non importunè hîc principaliora de sigillo subijcimus lectori non ingrata.

Corollar. primum. Confessarius furis publici, aut publicæ meretricis potest dicere iste & fur: illa est meretrix, nequit tamen dicere fur confessus est cum dolore suum furtum, meretrix suum meretricium, quia hoc est loqui de peccatis prout cognitis in confessione, quod nunquam licet, Soarez *tom. 4. in 3. p. de pœnit. D. 33. sec. 3. num. 6.* Contra fas est loqui de peccatis prout aliâ viâ cognitis, etsi sint audita in confessione.

Corollar. secundum. Confessarius in secunda confessione licitè loquitur de

peccatis auditis in priore pro directione pœnitentis, quia in hac secunda agit vices Christi, quâ autem vicarius scit præterita, & statum ab illis pendentem, & ideo suaderetur, ut quis habeat confessarium stabilem, Haunold. *num. 1033.*

Corollar. tertium. Confessarius pœnitentem non absolvens non potest id ipsum dicere, sic enim revelaret indirectè secretum Sacramentale, non etiam potest asserere absolutionem, quia mentiretur, Soarez *sec. 6. num. 1.* dicere ergo debet functum se munere suo.

Corollar. quartum non potest Confessarius imponere pœnitenti publicam pœnitentiam, nisi hanc sponte acceptet, Soarez *sec. 7. num. 3.* nisi id quod injungitur in peccatorum vindictam sit etiam remedium necessarium cavendi simile, aut tollendi scandalum, tunc enim potest præcipi e.g. ut dimittat tale officium, aut talem domum, aut conversationem cum tali persona, si nolit parere, dimittatur inabsolutus, si consentit sigillum non frangitur, cum totum fiat cum pœni-

pœnitentis consensu cit. Soarez. Econtra subditus confitens superiori, hic ex scientia confessionis non potest officio, aut loco movere prabente peccandi occasionem, dum timetur suspicio oritura, indirecta enim foret revelatio sigilli respectu alicujus, Soarez *num.* 4. contra Henric. loquentem in casu suspensionis respectu alicujus jam scientis peccatum pœnitentis, contra quem urget ratio data in fine *num.* 146.

Si superior posset uti eâ scientiâ sine ulla suspicione respectu cœterorum movendo subditum loco, aut officio, quando solet fieri mutatio talis ex solo arbitrio superioris (secus si officium non solet adimi ante certum tempus designatum nisi ex gravi causa) non frangi sigillum, nec esse usum scientiæ Sacramentalis, multi docuerunt cum D. Th. *quodlibet* 5. à 13. & in 4. dist. 21. *quæst.* 3. Art. 1. & in *supplem. quæst.* 11. Art. 1. ad 3. quam sententiam spectato jure naturali non audeat reprobare cit. Soarez, posse tamen hunc usum ob mali periculum prohiberi fatetur.

Et est defacto prohibitus Regularibus qui ex decreto Clem. VIII. de reservatis pro Religiosis edito anno 1594. sic loquentis: *Tam superiores pro tempore existentes, quam confessarii qui postea superioritatis gradum fuerint promoti: caveant diligentissimè, ne ex notitiâ, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.* Cum indistinctè loquatur, non est cur limite- tur, sed simpliciter observetur, concludit loco cit. Soarez in fin.

150. Triennio ante P. Claud. Aquaviva Generalis Societatis prohibuit nostris, nè doceant, aut practicent oppositam sententiam. Prohibitio hæc legi potest apud Amic. *de Pœnit.* D. 14. *num.* 41. inde deducendum non posse negari suffragium ob indignitatem ex sola confessione cognitam, nec subditum aliàs arbitrio superioris amovibilem ab officio remove, nihil denique facere, aut omittere, quod aliàs is, qui fuit confessarius, non fecisset, aut non omisset. Idem statuisse Soarez colligitur ex proximè relatis verbis ejusdem.

P. Tanner. *Tom.* 4. D. 6. *quæst.* 9. *dub.* 6. *num.* 140. §. *quâ ratione,* testatur Claudium super hoc decreto fuisse ex Germania consultum, respondisseque mentem sibi, ac propositum fuisse ulum ejus notitiæ duntaxat prohibere in iis, quæ pertinent ad regimen, & gubernationem superiorum, in cæteris verò casibus, qui incident (adeoque etiam in secretis suffragiis v. g. si ex confessione constaret aliquem esse indignum, aut incapacem alicujus beneficii aut officii) cum statuendum nihil sit, ità se gerere unumquemque debere, uti conscientiæ suæ ex Doctorum sententijs consultus fore cognoverit. Unde malè Dian. p. 5. tr. 11. *Resolut.* 3. & Dicastill. *de sigillis Confess.* *num.* 140. in fin. admirantur Tannerum cit. quasi statuisset oppositum Decreto Claudij existimans, quod Confessarius ex confessione discens sibi imminere grave periculum, posset fugâ sibi consulere, utendo notitiâ confessionis, quamvis alij ex fuga conjicerent se e. g. à Petro in confessione esse proditos. Hoc assertum non contrariari Decreto Claudii patet

patet ex hujus responso relato cum fuga confessarij non spectet ad regimen, & gubernationem superiorum: Tannerum secutus est Pal. referens decretum Claudij.

Verùm sinè licentia penitentis hujusmodi fugam non licere, aut à vino abstinentiam, in quo sibi venenum præparatum didicisset, est probabilior sententia contra Scotum & alios refutatos à Lug. *de Pœnit. Disp.* 23. à *num.* 110. usus enim ejusmodi reddit confessionem difficiliorem, consequenter odiosam.

Quid si ex pœnitente confessarius relciat, quod complices illius vino venenum immiscuerint, potèstne confessarius ex licentia sola pœnitentis uti hac notitiâ, ac declinare vinum, fugere instructum periculum. Respondeo verius affirmari à Lug. à *num.* 136. contra Vasquez. quia confessionis usus ex licentia pœnitentis adversus complices non reddit confessionem difficiliorem, cum difficultas hæc respiciat solum pœnitentem. Oritur tamen obligatio secreti naturalis non infamandi proximum.

Idem Lug. *num.* 116. rectè resolvit confessarium à pœnitente provocatum ad malum, si denuo evocaretur ad ejus confessionem, sinè fractione sigilli posse non ire, etsi inde suspicaretur, id omittere propter provocationem, provocatio enim ad malum non est sub sigillo, utpote peccatum à pœnitente non confessum. Et *num.* 43. negat esse materiam sigilli quidquid confiteatur pœnitens absque voluntate obtinendi absolutionem, esto dicat se loqui sub sigillo, quia non est confessio Sacramentalis à Christo instituta, nisi faciat ideo, ut aliquialiter satis-

faciat Ecclesiæ, aut ut juvetur à confessario, Soarez §. 2. *num.* 9.

151. Pro clariore intelligentia Decreti Clementini Soarez *tom.* 4. *de Relig.* *tom.* 10. *lib.* 8. *c.* 5. à *num.* 12. distinguit duplicem gubernationem, unam præcisè necessariam ad vitandum peccatum pœnitentis, aut scandalum hujus, aut aliorum ex peccato illo præcisè ortum, alteram consistentem in rebus alijs, nempe actionibus, & muneribus: usus notitiæ confessionis ad Gubernationem hanc secundam veritus est à Clemente, secus prior, dummodo nec indirecta revelatio confessi delicti timeri possit, quia usus prioris dici non potest usus ad gubernationem externam, sed ad internam, ad quam ipse pœnitens in conscientia tenetur.

Nihilominus, quia perdifficile est servare circumspectionem tantam, quantum exigit reverentia hujus Sacramenti, & sigilli, idcirco Claud. Aquaviva etiam relatè ad hanc internam gubernationem prohibuit omnem usum, uti habetur *Ordinat. General.* *c.* 2. §. 14. & *Instruct.* 12. sed ita voluit ut nostri confessarij se gerant in omnibus, acsi in confessione nihil pœnitens audivissent. Est autem hoc decretum intelligendum, uti notat Soarez *num.* 15. pro his eventibus, in quibus non necessariò, sed ob utilitatem talis notitia ad illum usum applicari posset. Dixi *ob utilitatem*, quia si urget necessitas, ut si interveniat præcisa superioris obligatio ex officio tollendi subdito moralem peccati occasionem, tunc tenetur, etsi ex confessione noverit, quando sinè suspitione revelationis tolli potest, debet autem prius monere subdi-

subditum suæ obligationis, eumque inducere, ut consentiat, ac acceptet in remedium suæ animæ sibi auferri talem occasionem.

Corollar. quintum, eum qui scit indignum scientiâ Sacramentali, attamen dat suffragium pro officio, probabilis nullatenus peccare, cum illa scientia nequeat esse regula suffragationis *per n. 150. Soarez Tom. 4. in 3. p. de Pœnit. D. 37. S. 7. num. 12.* Addo vi dictæ scientiæ nec posse investigare, an reipsa sit dignus, aut indignus, Gobat *tract. 7. num. 893.* factum enim hoc est odiosum pœnitenti.

Corollar. sextum. Non posse superiorem ob notitiam confessionis negare subdito licentiam exeundi foras, alloquendi externos, claudendi fenestras, ne pateat ingressus ad furtum, dimittendi famulum, quem novit esse furem, aut abstinendi in posterum à committendis illi pecunijs, aut mutandi testamentum instituendo alium hæredem loco ejus, quia usus notitiæ in his casibus reddit confessionem difficiliorem, Lug. de Pœnit. *Disp. 23. à num. 92. Gobat tr. 7. à num. 897.* Moya. *in selett tom. 2. in Append. ad tract. de Pœnit. Disput. 3. quest. 3. §. 2. num. 17.* contra multos.

Ampliant priores cum Vasquez *Tom. 4. in 3. pag. quest. 93. Arr. 4. dub. 10. num. 9.* Lug. *num. 105. & 110.* Confessarium non posse fugere periculum sibi imminens, quando fuga esset indirecta revelatio, unde non posset declinare missam, pro qua est paratum venenum immixtum vino, sed se ipsum

occidere sumendo calicem, Moya verò §. 3. *num. 19.* cum Sanch. *lib. 3. de mat. Disp. 16. num. 4. ad 4.* negat ampliationem, quia fuga, aut omissio missæ est ex se indifferens ad varios operandi modos, nec determinatè significat notitiam delicti ex confessione, quia ex alijs motivis provenire possunt, & ideo pœnitens non potest esse rationabiliter invitus, uti foret si ex ejus usu periculum vitæ illi immineret, sed tutior est opinio Lugo & Vasquez cui ut probabiliori jam adhæsi *num. 150.*

152. Corollar. septimum sequentes confessarios esse reos sacrilegij, seu violatores sigilli: primo dicentem Cajus est mihi confessus sed à me inabsolutus: & quidem etsi hic ipse publicè diceret sibi negatam absolutionem, nequit Confessarius confirmare, aut subdere, ipse dixit: *quod illum non absolverim*; nempe si eâ vultûs compositione subderet, ut præfentes crederent Cajum verum dixisse, Gobat *num. 805. Lug. num. 85.*

Secundò qui excepit confessionem publicæ meretricis, aut furis notissimi, si narraret, quod hic sua furta, illa meretricium cum lacrymis expiaverit, quia peccata ut cognita per confessionem manifestarentur de certis personis contra reverentiam Sacramenti, Gobat *num. 790.* cit. Vasq. Moya §. 4. *num. 24.* Mend. *in Stater. Dissertat. 10. quest. 9.* oppositam Mediæ, &c. Judicans sibi esse improbabilem.

Ex causâ allatâ sacrilegus esset Confessor audiens in agone publicum peccatorem puta usurarium, si diceret eum resipuisse, Gobat *num. 914.* nisi, inquit, ex licentia pœnitentis diceret, imò debe-

deberet quantum fieri potest per confessarium suam resipiscentiam divulgare ad scandalum tollendum, testimonium tamen istud non sufficeret, pro sacra sepultura, sed per famam publicam constare debet.

Nihilominus confessario ex licentia pœnitentis asserenti hunc teneri e. g. Titio centum aureos, hæredes teneri credere Dian. p. 11. *Resolut.* 28. Gobat *num.* 912. contra major attestans magistratum Lucernensem plenam fidem adhibere tali testimonio, nisi probetur oppositum.

Quid si hæredes negarent confessario facultatem ei datam à pœnitente? an confessario incumbat onus probandi, multi affirmant inter quos S. Th. apud Soarez. *tom.* 4. *in* 3. p. de pœnit. D. 33. §. 8. *num.* 4. & apud Lug. de pœnit. D. 23. à *num.* 149. licentia enim non præsumitur. Negant alij, quia cum regulariter secretè detur facultas, est impossibile eam probari. Soarez distinguit, si confessarius quædam asserat in damnum pœnitentis, aut tertij, incumbit illi onus probandi ob præsumptionem contra eum, at si nihil pœnitenti nocet, sed cedit in ejus bonum salva famâ, & honore, præsumendum est pro illa. Deinde putat etiam pro eo præsumendum si constet de illius vita honesta, & moribus. P. Franc. Bardi *Discept.* 6. de consc. dub. c. 11. p. 4. §. 12. n. 6 & 7. Aliter distinguit Lug. *num.* 151. ad quem in contingentiam facti consulendum remittit Gobat *tract.* 7. *num.* 846.

155. Tertio committit crimen violati sigilli asserens de parva communitate e. g. monasterio, parvo pago &c. illic reperiri aliquos valde sceleratos, quia infamatur tota communitas, consequenter etiam pœnitens, velut pars illius, Soarez §. 3. *num.* 8. contra Navar. negantem esse in rigore contra sigillum. Lugo n. 64. extendit cum cit. Soarez Vasq. ad Confessarium garrientem de certa civitate non nimis ampla, quod in ea sint talia crimina, Sodomix, usuræ: negat tamen cum multis talem incurrere pœnas fractoris sigilli, quia non pœnitentis, sed civitatis peccata pœnitentis, de quo plures vide apud Dian. p. 1. *tract.* 1. *Miscell.* *Resol.* 13.

Concionator jam jam ascensurus cathedram audit pœnitentem de certo vitio concionator horridè denotat contra istud vitium, estne reus fracti sigilli, aut an saltem peccet? Responder Gobat n. 915. negativè, si jam prius paratus erat persequi in concione istud vitium, concio enim tunc non nititur notitiâ Sacramentali, etsi pœnitens contrarium arbitretur, erubescat, aliique id ipsum censeant, Regula enim est Th. Sanch. *lib.* 3. de matr. D. 16. *num.* 16. desumpta ex S. Th. quem sequitur Gobat *num.* 875. *Ex auditis in confessione non ardetur confessor ad aliquid faciendum, vel omittendum, vel remedium adhibendum extra illam, sed ita se gerat, ac si tota vita non excepisset ullam confessionem,* uti etiam Claudius Generalis Societatis Præpositus pro suis ordinavit per *num.* 150. & 151. At si Concionator faciat invektivam ex impulsu Confessionis audita graviter cum peccare, nullum est dubium, Gobat *num.* 915.

Quartò graviter delinquit contra reverentiam Sacramenti, redditque hoc odiosum, ac difficilium, qui intra confessionem

tionem gravibus convitijs afficit pœnitentem, aut si hic esset ejus famulus, ac furax, peteret tunc ab eo sibi clavim tradi, aut juberet alium quarere herum, Lug. *num.* 123. quia inquit esto materialiter hæc fiant intra confessionem, sunt tamen re ipsa damna confessioni prout à Christo instituta extrinseca reddentia confessionem perdifficilem, neque Confessarius habet jus puniendi pœnitentem, nisi per Sacramentalem pœnitentiam aut correctionem, spectant enim ad Sacramenti integritatem Lugonem sequitur Gobat *num.* 870.

154. Quintò sacrilegus fuit ille Italus Confessarius in confessionali exclamans audientibus alijs. O Jesu! contra pœnitentem germanum se accusantem ebrietas, quia exclamatio audientibus non poterat indicare, nisi grave aliquod peccatum, Gobat *num.* 817.

Sextò is qui finxit se Sacerdotem, aut pollere potestate absolvendi, si quid ex auditis prodat, est sacrilegus, Gobat *tr.* 7. n. 853. Soarez *de pœnit. D.* 33. §. 3. *num.* 3. rectè definiens Sacramentalem Confessionem (ex qua omni & sola oritur sigillum) seu à Christo institutam hisce verbis: *Confessio sacramentalis est accusatio peccatorum facta Sacerdoti vero, vel probabiliter existimato in ordine ad absolutionem.*

Omnia igitur detecta vero, aut existimato Sacerdoti animo se accusandi non solum vera, sed etiam existimata peccata, horum circumstantiæ, & objecta sunt materia sigilli, Lug. à *num.* 57. Hinc si Confessarius audiens se accusantem (quod dixerit alicui suum Parochum blasphemasse, Titium ob scelera esse incarceratum, Cajum esse illegitimum,

qualem Confessarius novit ex sola confessione, in qua falsus est se cum tali defectu natalium ignoto ordinatum) referat alicui Parochum blasphemasse, Titium coniectum esse in carcerem, Cajum esse illegitimum, frangit sigillum, nam blasphemia Parochi, & incarceratio Titij sunt objectum, defectus verò natalium Caj est circumstantia peccati confessi probrosa.

Econtra si circumstantia sit publica, nec probrosa, ejus revelatio non est materia sigilli, ut si in sacris, aut matrimonio constitutus se accuset fornicationis, Confessarius et si ex sola confessione noverit talem statum pœnitentis, licitè de eo loquitur, Lug. cit. Gobat *num.* 791. & *seq.*

Ampliat Lug. *num.* 60. ad defectus, quos Confessarius non audit ex confessione, seu revelatione pœnitentis, sed in ipsa confessione videt, ut quod sit blasus, surdaster, linguæ præcipitis, ingenij pertinacis, irresolutus, molestus (conferat hucusque Gobat) hos defectus negat eadere sub sigillum, imò nec dicendo esse *scrupulosum, suis nanis, imperinentis, minutis caput Confessarij obtundere.* Quia pœnitens hæc non confitetur; unde sicut, si pœnitens in confessione convitiaretur Confessarium, aut hunc blasphemaret, convitium hoc non cadit sub sigillum, quia non confitetur, ità in dicto casu censet contra Coninch. at Gobat *num.* 793. hunc sequitur eò quod ejusmodi revelatio reddat odiosam confessionem, hanc opinionem magis approbavi cum Gormaz *de Sacram. Pœnitent. D.* 9. *num.* 394. Tamb. in *Append. ad Methad. ex ped. Confess.*

sess. 8. 3. num. 18. ut improbabilem reprobatur sententiam Lug. quia est pœnitenti injuriosa.

Et secundum omnes complex nominatus ad explicandum malitiam actus est materia sigilli, imò etiam sine necessitate complicem nominasset, ut fert communis, ac vera sententia cum Lug. num. 68. contra Joan. Cruz, quia etiam per signorantiam revelata, quæ apprehendit necessaria, & utilia, si revelentur reddunt confessionem odiosam.

155. Ex his rectè concluditur si confessarius nequit confiteri integrè peccatum sine fractione sigilli etiam in periculo mortis debet id peccatum omittere. Gobat num. 838. & 950. contra paucos cum Gabr. & Dominico solo.

Hinc Hostiens. Joan. Andr. Panorm. &c. errarunt graviter docentes prodi posse eum, qui confitetur propositum prodendi Rempubliam nolens desistere à proposito, Gobat num. 837. & seq. Soarez de pœnit. D. 33. S. 1. num. 2. negans in ullo casu etiam pro avertendo damno publico ex communi Ecclesiæ sensu, ac perpetua traditione fas esse prodere, quia uti constat ex definitione Sacramentalis confessionis, sigillum istud fundat non sola confessio Sacramentalis legitima, seu cui nulla pars essentialis deest, sed etiam illegitima, seu cui pars essentialis deficit, facta in ordine ad absolutionem, vel animo se accusandi, ut curetur, seu juvetur eo modo, quo confessarius judicaverit expedire: imò et si accedat sine proposito obtinendi absolutionem, vel sine dolore, aut proposito emendationis, attamen habet animum se accusandi, ut vel aliquantulum

satisfaciat Ecclesiæ vel aliquantulum juvetur, Soarez. S. 2. num. 37. & seqq. 2.

Nihilominus confessarius sciens ex confessione imminere prodicionem licet potest revelare prodicionem in genere; Gobat num. 895. ex Bellar. in Apolog. contra Regem Angliæ nempe citra periculum revelationis directæ, aut indirectæ.

Si Confessarius dubitet an crimen prodicionis audiverit in confessione, proinde sub sigillo Sacramentali, vel verò extra illam, consequenter sub sigillo naturali, in hoc dubio adhuc confessarium teneri sigillo tueri Ludovicus scilicet de principijs Consc. tr. 6. § 3. num. 49. Gobat num. 848. citans Reginald. Dica. still. Bonac. obligatio enim secreti humanitus est indispensabilis, estque semper tutius in dubio amplectendum, ac præsumendum pro confessione, ac pœnitente. Contra hos sentit Franc. Bardi. §. 11. num. 4. docens esse revelandum in tali dubio personis, ad quas spectat Reipublicæ defensio, quia, inquit, ante insurgens dubium, confessarius certò possidet libertatem revelandi cognitam prodicionem, atque stat præsumptio pro libertatis possessione, à qua per superveniens dubium deijci non potest ex universali doctrina in alijs Tamb. cit num. 20. dat disparitatem quod dubia sigilli obligatio contra libertatem prævaleat ex Christi institutione ob periculum certum retrahendi ab hoc Sacramento homines. Ob hæc fortè dixit Gobat plus speculativæ, quam practicæ probabilitatis habere opinionem Bardianum.

\* \*



## §. XX.

*Clauditur materia de usu notitiæ Sacramentalis aliquot  
questionibus.*

156. **Q**uæres primò evocatur Confessarius ad puellam furtivè gravidam in periculo mortis constitutam, audit consententem; nemo scit delictum; nisi reveletur cum morte matris peribit infans morte non solùm temporali, sed etiã aternã defectu baptismi. Remedium nullũ, nisi puella det licetiam confessario revelandi, cum ex hac revelatione dependeat unicè salus aterna infantis. Si renuat dare facultatem, estne capax absolutio- nis, etsi aeternum sit peritura anima infantis, Respondeo cum Matth. de Moija *to. 2. select in Append. ad tr. 3. de Paenit. D. 3. q. 3. §. 5. num. 41.* affirmativè si est probabilis opinio, quod puella cum jactura famæ suæ non teneatur aperire statum suum, ex quo certò aut probabilius dependet salus infantis. Non obstat infamiam orituram primùm post mortem, postquam mater esset aperienda ad succurrendum proli, quia jus non infamandi se extendit etiã ad mortuos, Joan. Sanch. *in select. D. 4. num. 6.* ex Navar. & Zerola.

Quæstio proindè restat, an opinio negans obligationem in hac puella se manifestandi cum amissione honoris sui & famæ sit probabilis.

Necessitas extrema salutis aternæ quod obliget ad expendendam etiã vi-

tam temporalem pro ea vindicanda esse regulam ab omnibus Catholicis receptam, ac certissimam asserit Pal. *to. 1. rr. 6 D. 1. p. 9. num. 2* ex Joan. 14. *hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Christus autem dilexit nos dando vitam temporalem pro nostra spirituali: & 1. Joan. 3. *in hoc cognovimus charitatem DEI quia ille animam suam posuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere* Rationem etiã dat, quod bona spiritualia maxime aterna sint excellentiora quovis bono etiã proprio temporali, ergo charitas obligat illa temporali bono cuius præferre. Hinc *num. 3.* concludit, quod si spes sit te moriendo profuturum, debes etiã vitam expendere, quia textus allati continent præceptum expendendi aliquando vitam propriam pro proximi salute, ergo saltem in necessitate extrema, aliàs esset frustraneum præceptum. Doctrina hæc est teste Pal. omnium expostorum. *D. Th. 2. 2. q. 26. art. 5.* dicentis, *non est de necessitate charitatis, quod homo exponat proprium Corpus pro salute proximi, nisi in casu, quo tenetur ejus saluti providere,* id est. Interprete. Cajet. nisi in casu necessitatis. Clarius in 3. dist. 19. q. 1. art. 8. ad 2. *questionem ad 2.* sic loquitur Angelicus: *Cum*  
*(ci)*

scimus fratrem per mortem corporis à morte anima sine periculo anima non posse liberari, tunc eradere animam pro fratribus non est perfectio- nis, sed necessitatis; quam doctrinam non retractat in summa sed ut vidimus confirmat. Ex hac sententia.

157. Sequitur cum vitæ periculo esse succurrendum, dum aliàs nullus vult, aut potest (sive sit necessitas ab intrinseco, sive ab extrinseco e. g. à Tyranno impedi- ente succursum; violentia enim non facit desinere extremam necessitatem contra Sot) in sequentibus personis. Primò infanti morti vicino est conferendus baptismus, Soarez de charit. D. 9. S. 2. num. 3. Secundò dormienti, aut phrenetico in mortali constituto, cui imminet vitæ pe- riculum, si est moralis certitudo, eum à mortali liberandum, secùs deficiente hac certitudine, idem.

Tertio moribundo asueto peccatis, huic enim est moraliter impossibilis con- tritio, proinde laborat extremè. Cit. Soa- rez cum alijs, Pal. verò num. 6. post Coninch restringit ad rudem, qui igno- rat extra Sacramentum sufficere contritio- nem, aut hæc illi non occurrit, aut non scit eam elicere.

Quartò Reipublicæ in gravi spiritali necessitate constituta, quia comūnis gravis necessitas vix est sinè extrema plurium par- ticularium, Coninch. Bonac. & ut proba- bile sequitur Soarez num. 4. quos approbat Pal. num. 10. inde hanc obligationem ex- tendens ad casum, quo in communitate grassantur vitia cum perversione plurium, periclitatione honoris divini, aut si quis seminat doctrinam parvam in populo cum periculo inficiendorum plurium.

Quintò obligatus ex officio tenetur etiam ex justitiâ cum vitæ periculo succur- rere cujusvis subditi gravi spiritali neces- sitati, quia magis obligatur titulo officij, quàm privati, sed hi obligantur cum vitæ periculo cujuslibet extremæ necessitati spiritali succurrere, ergo officialis de- bet etiam in gravi, cit. Soarez: quod Pal. num. 12. cum Coninch intelligit, si suc- currendo uni plures non negligenterent, ordo enim charitatis periculum damna- tionis plurium præponit salutem unius.

Hinc tempore pestis nequit Páro- chus fugere, nisi substituat vicarium suf- ficienter provisurum, quo casu nequeunt subditi fugam impedire. In eo periculo non potest renunciare officio, sicut, nec miles instante pugnæ necessitate, Pal. num. 13. & alijs. Has sequelas plerasque etiam leges apud Gobat. tract. 2. à num. 225.

158. Sanch. D. 10. num. 9. Do- minicus Sotus, Arevalus dicens univer- sos communiter sic sentire (nota univer- sos, cum tamen teste Pal. per num. 156. in oppositum stent omnes expositores D. Th.) Sa verb. charitas, num. 4. Ita differens: infantem alioquin moriturum sine baptismo, teneris cum vitæ periculo baptizare secundum quosdam, quod alijs probabiliter negant, nec enim cum dato detrimento debetur ei tale officium, alio- quin, & mater gravida teneretur permit- tere se secari, ut fœtus baptizaretur, aliàs sinè baptismo moriturus, quod nemo dicet.

Ad argumenta Palao Respondet Tamb. lib. 5. in Decal. c. 1. §. 2. à num. 9. ly sicut in primo textu non omnimodam, sed aliquam indicare simi-

litudinem: quemadmodum in illo textu: *Estote perfecti, sicut pater vester perfectus est.* In secundo et si regulariter verbum *debet*, importet præceptum, non tamen semper, sed aliquando convenientiam, & decentiam uti probat Tamb. *in lib. Methodi communionis, c. 1. §. 6. num. 53. ex can. ad eum dist. 5. mulier, nisi purgationis dies transeant, viro suo admisceri non debet*, ubi non debitum sed decentia significatur, Sanch. *lib. 9. de Matr. D. 22. num. 11.* Item *Can. vestimenta dist. 1. de vestibus Ecclesiasticis* sic dicit Pontifex: *Quæ neque ab alijs debent contingi, aut ferri, nisi à sacris hominibus.* In quem textum Soarezto. 3. in 3. p. D. 81. de *Evch. S. 8. vers. Tertium Exemplum* sic habet: *Quæ verba, aut præceptum non continent, quia illud verbum (non debent) non videtur in rigore significare obligationem, sed decentiam quandam.* Pariter *Matth. 3. ego à te debeo baptizari & Joan. 13. & vos debetis alter alterius pedes lavare.* Quibus locis non debitum, sed convenientia importatur. Deinde mors Christi non fuit extremè necessaria pro nostra salute, quia poterat hanc operari alijs modis, ergo ex textu secundo sequeretur nos etiam extra necessitatem extremam exponere debere vitam pro gravi saltem necessitate spirituali proximi, quod nemo asserit.

Ad rationem negatur consequentia, aliàs pro quovis bono spirituali proximi e. g. actu virtutis gradusque gratiæ ad eum consequentis esset vita danda, quia est excellentius, ac DEO gratus bonum, quàm vita, probat ergo nimium,

Post hæc responsa *num. 11.* in fin. Concludit. Hæc in gratiam hujus sententiæ posterioris sunt dicta satis, quam benigniorem, & hominum fragilitati magis accomodam esse inficiabitur nemo quibus verbis satis insinuat probabilitatem secundæ sententiæ attentis præsertim verbis discursui Joan. Sanch, quem *nu. 8.* refert, subjectis. Hæc *Joan. Sanch.* Ex quibus illationes à Palao allatæ, quæ ratione corruant, jam vides. Porro illationes illa continent sequelas *num. 157.* deductas.

159. P. Moya *n. 156.* relatus docet *num. 39.* sententiam Sanchez esse probabilem, concordat Gobat *tract. 2. num. 224.* et si aliàs cum primâ sentiat, atque adeo in casu, in quo puellæ mortis periculum immineret à Consanguineis, non teneri eam dare licentiam detegendi delictum, confessariumque debere illi impetiri absolutionem.

An etiam probabile sit licitè denegare posse facultatem, nè patiatur jacturam famæ, & honoris, maximè si est puella magnæ authoritatis, pendet ab eo, an periculum infamiæ, & honoris æquiparetur periculo vitæ? si ita, ergo sicut ob vitæ periculum non obligatur consentire in revelationem sui probro delicti, ita licitè dissentit, ne prodatur ob servandam famam.

Æquiparari autem periculum infamiæ, amittendique honoris cum periculo vitæ plures graves DD. censent apud Moya *num. 40.* inter quos Bannez, Joan. à S. Th. Cajet. 2. 2. q. 75. *art. 2.* Petrus Navarra &c. & ipsum jus æquiparat. *L. Justa causa ff. de manumissione vindicta, L. isti quidem §. 8. quod si*  
de-

dederit ff. quod metus causa L. infamia 8. C. de decurionib.

Ex his refolvit Moya *nu.* 41. etiam ob tuendam famam puellam non improbabiler licite confessario renuere licentiam prodendi delictum, illamque esse absolvendam cum etiam salus, aut damnatio aeterna puellae dependeat ex concessa, aut denegata absolutione.

160. Ego censeo primò omnino alicujus magni criminis infamiam notoriam ex facto, aut Jure moraliterque indelebilem maximè non merè personalem, sed quae redundet in familiam conspicuam, uti est infamia e. g. ex proditione patriae, æquiparari morti, reddit enim vitam exosam, ac intolerabilem; minimè autem talis est censenda nata ex incontinentia, consentanea foemineae fragilitati, cujus foeditas dependet potiùs ex reputatione mundana, quàm ex gravitate culpæ (vide *Mol. tr. 3. de Just. D. 102. num. 12.*) potèstque tam prægnantia, quàm partus celari, ut pauci sint conscij, ita Didacus. *Hurt. ad propositionem 34. Innocentij XI. dissert. 20. num. 24.* unde in casu nostro potest peritus Chyrutgus secreti tenax conducti, qui mox, ac decesserit Puella incisionem faciat ad infantem excipiendum, ut si vivit, sacro fonte abluatur. Nè autem via respirationis præcludatur infanti, agonizantis gravidæ ori aliquid imponatur, *Gobat tract. 2. nu. 260.*

Extra publicitatem infamiae nemo prudens, inquit cit. *Hurt.* illam morti æquiparabit, aut metum ejus, metui istius *Audi Less. lib. 2. c. 11. num. 88.* sic dicentem: nemo prudenter pro quantavis magna fama eliget mori: consentit

*Laymanus, lib. 5. Sect. 5. tr. 3. p. 3. c. 3. nu. 3. Gobat Theolog. Jurid. mor. c. 18. nu. 8.*

Censeo secundò, cum opinio etiam tenuis probabilitatis in extrema necessitate evadat practicabilis pro tradita à Carden. ad proposit *Innoc. Dis. 4. à num. 5.* quam secutus sum in *tract. Canonist. de Matr. num. 281.* si puella disponi non possit ad concedendam confessario facultatem manifestandi, absolverem illam utpote extremè spiritualiter egentem, siquidem opinio æquiparans metum infamiae metui mortis non est evidenter falsa, sed probabilis probabilitate ad minimum tenui.

161. Quæres secundò incidenter, an verum sit, quid propter foetum baptizandum nunquam teneatur mater gravida pati se secari hancque obligationem nemo agnoverit, uti asserit cit. *Sanchez allegatus hic sub initium num. 158.* Ratio asserendi, quòd occisio directa innocentis nunquam sit licita, etiam cum consensu hujus, sed sectio caesarea, seu incisio materni uteri, etsi sit aliàs desperatus partus naturalis, est directa Innocentis matris occisio, ergo etiam cum hujus consensu est illicita, & quidem etiam si mater, ea esset, jam condemnata ad supplicium, eo quod hæc incisio afferet mortem proli, ita *Paulus Comitulus in Respons. Moralib. lib. 1. num. 14.* cujus opinionem etiam amplexus est *Soarez. Coninc. Diacastill. Gobat. in Edit. 1. Theolog. Experim. eidem subscripsit, uti testatur in Edit. ultima ann 1681. num. 254. & 256* postea incidens in *Theopholi Reynaudi to. 14. tractatum, de ortu*

*infantium per sectionem Casaream.  
Mutata sententiâ docet duo.*

Primum est incisionem hanc esse licitam in desperatione partûs naturalis, dummodo sit probabilis spes matrem fore incolumem prout saepe affulgere testantur plures Medici Galli, Hispani, Itali, & Germani, ipseque Raynaudus narrat ex ore P. Jacobi Rubini Ord. Minor. Biturienfis referentis se quintum ex fratribus casu semper utero editum. An autem hic, & nunc sui in tali gravida spes sit, spectat ad Judicium Medici non obviij, sed circumspiciti, & minimè præcipitis.

Alterum est, & sequitur ex primo matrem obligari sub mortali ex charitate, & pietate, erga prolis salutem subire hanc lanienam, ipsosque artifices sectionis ut Chyrurgum & Medicum etiam non vocatos, & rogatos teneri præstare opem suam. Si positâ sectione matris incolumitati consuleretur, proles autem esset extinguenda sinè baptismo, obligatur mater abstinere sectione, Gobat *num.* 256. ex cit. Rayn. *c.* 9. *num.* 21. qui *c.* 8. obligat matrem ad subeundam sectionem etiam in casu, quo dubitatur, an sectio sit allatura mortem matri, quam extensionem in 1. Edit. Gobat. *in Append.* 2. *ad tr.* 2. *num.* 27. admisit at in Edit. novissima *num.* 256. transcribens, cit. *num.* 27. omisit.

162. Respondeo nunc primò ad quæstionem secundam affirmativè, quando spes est matrem evasuram incolumem, tunc enim incisio non est occisio matris: imò etiam in dubio an mater exinde sit moritura obligat Rayn. *c.* 8. Quod Jo. Sanchez asseruerit à nullo obligari matrem ad sectionem sustinendam, nihil obstat,

quia vel eo usque non fuerit notoriè præcticata, vel non incidit in Authores de hoc argumento scribentes.

Respondeo secundò: Etiam consentiente matre non posse licitè incidi, quando judicio periti Medici ex incisione sequeretur mors matris enim sectio foret ejus occisio, quæ non est licita, etsi exinde infans ablueretur aquâ salutari, aliàs periturus, ità citatus Moya *num.* 42. cum D. Th. *in 4. dist.* 6. *q.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. *ad 4.* homo inquit potius debet dimittere perire infantem, quam ipse pereat, homicidij crimen in matrem committens: dat hujus rationem 3. *p.* 9. 68. *art.* 11. *ad 3. dicendum, quod non sunt facienda mala, ut eveniant bona, & ideo non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum.*

Excipe matrem gravidam supplicio afficiendam, morbo lethali correptam, quæ nisi secetur viva, proles peribit, tunc enim servato Juris ordine Judex supplicium commutat in hanc sectionem, Moya à *num.* 43. cum Soarez. Laym. cit. Rayn. *c.* 12. contra Canitol. Malder. &c. quia nulli sit injuria. Ut id decernat judex sufficit spes prolis, quòd proles absque nece possit baptizari, Moya *num.* 45. rectè *num.* 46. ad id faciendum obligans judicem sub mortali, cum teneatur per medium licitum succurrere saluti æternæ infantis.

163. Redeamus ad puellam gravidam morti vicinam, de qua mota est quæstio *num.* 156. utrum, si consensisset in delicti patefactionem potuisset incidi, si incisio accelerasset mortem? Ratio negandi, quòd incisio hæc esset accelerata occisio illicita, idque probatur ex Panor.

in c. non ut, de Baptismo, & ejus effectu, ubi sic scribit: quidam deferens puerum ad baptizandum ad Ecclesiam valde remotam, videns in puero signum mortis, nec habens secum aquam projecit puerum in puteum dicendo verba instituta: nunquid iste puer est baptizatus, & sic potest sepeliri in Cameterio Ecclesiastico?

Respondet fuisse validum contra quosdam Thomist. si aquam attigit ante mortem; at fuisse illicitum. Eadem est mens Soarez to. 3. in 3. p. D. 31. Sec. 3. vers. secundo hinc colligo, Gobat tra. 2. nu. 267. ex communi Theologorum, quia ut arguit cum Coninch projectio secundum se, & sepositis accidentibus circumstantijs considerata directius tendit in infantis necem, quam alia actiones communiter à Theologis concessa e.g. quod possit murus hostilis everti tormento, in quo stant Innocentes opprimendi &c.

Hinc si dicat ut sibi objicit Gobat num. 125. parum interest inter accelerationem mortis per submersionem, ac per affusionem: item inter illum, qui accelerat parum affundendo, & qui affundendo multum, sed licita est aliqualis, seu non notabilis acceleratio mortis per baptismum infantis in extrema necessitate, ut docet Soarez cit. & vers. In hac re; uti etiam Vasquez. Coninch. Pal, apud Gobat num. 124. Diana verò q. 5. tra. 3. Resolut. 8. sentit esse multò probabilius id ipsum, esto propterea mortis acceleratio esset magna futura, quae opinio placet etiam Patri Gobat num. 126. quia Baptismi institutor habet ius summum in vitam, ex altera parte est Baptismus summè necessarius

R. P. Karch, Diss.

ad salutem, cujus privatio est summum malum, ergo ad hoc impediendum non videtur illicita acceleratio etiam notabilis per affusionem, quamvis sit illicita per dejectionem in puteum. Disparitas colligitur ex dictis, quòd dejectio directius tendat in necem; unde non est audiendus Soto, concedens de acceleratione etiam per projectionem, dum non multum accelerat.

Jam Respondi ad questionem praesenti numero motam: mihi videri probabile; posse secari, quia sectio relatè ad mortem non se habet ut projectio in aquam, sed potius, ut ablutio seu affusio infanti agonizanti noxia, ergo cum licita sit acceleratio mortis per affusionem, etiam licita erit incisio matri mortem accelerans, ut infans possit excipi, ac baptizari.

164. Respondeo secundo si puella in nostro casu non fuisset viva secta, supposita facultate facta Confessario revelandi delictum, ut saltem post mortem secetur, & infans, si vivit, abluatur, secari omnino debet, etsi obstetrix, alijque adstantes judicent prolem cum matre extinctam, censentes hanc extinctam vitam proli servari non posse. Horum iudicium universaliter non esse verum evincit opposita veritas infantis excisi ex matre ante aliquantulum tempus defunctae Leucæ nobili pago Vallestæ 1662. ad hanc puerperam P. Joan. Mos Societatis Jesu Sacerdos evocatus reperit jam mortuam, jubet mox referari uterum, fortè fetum adhuc vivere, & verò repertus fuit, baptizatus migravit, ut testatur Gobat. tr. 2. num. 260. qui nu. 258. ex iudicio tum Theologorum tum Medicorum, ac multiplici

Q

ex-

experientiâ scribit per sepe prolem in utero esse matri superstitem.

Addit ibi experitissimo medico Guilielmo Fabricio Calvinista, quod præstet potius centies secari matres mortuas etsi irritò eventu, quàm ut eis parcendo negligatur vita unci infantis.

Unde patet gravissimus error, qui accidit hoc ipso anno dum hæc scribo 1713. mense, ni fallor Octobri, dum illustrissima Matrona uterum gerens in mortis periculo constituta se sponte obtulit ad sectionem, ut infanti succurratur per baptismum, sed non fuit exaudita. An secari potuerit? Judicium meum aperui sub fin. *num.* 163. quod post mortem non fuerit secta, ac confessarius non urserit sectionem gravissimè fuisse erratum proximè demonstravi. Quod obstetrix asseruerit prolem jam esse extinctam, nihil probat, estque in oppositum instantia Vallesiani infantis, ac multiplex experientia.

Fortè dices obstetrix exploravit ex matris tactu, palpatione &c. nullum vestigium motus fœtus deprehendit. Respondeo adhuc non rectè colligi fœtum esse exanimatum, nam cit. Gobat refert ex eodem Fabricio experientiâ non unâ doctum infantes in utero ità immotos quiescere, ut habeantur ab omnibus pro mortuis, refertque exemplum infantis crediti jam 25. horis mortui, & tamen adhuc vivus ex viva matre extractus supervixit triduo.

165. Dices: Ergo maritus obligatur sub culpa mortali conducere Chyrurgum qui præstò adsit functurus officio sectionis: hæc autem obligatio est nimis dura marito pauperi impotenti solvere.

Unde recentet casum, cit. Gobat *num.* 258. in quo aliqui suaserunt illi ut juberet mox secari ventrem, obstetrix dissuasit, eò quod fœtus jam expiraverit, deberetque Chyrurgo dare octo aureos, quæ merces homini labore manuum se sustentanti est ferè impossibilis. Respondeo cum ex disputatis à *num.* 156. Christiana Charitas quamvis sub mortali obliget ad succurrendum etiam gratis extremæ necessitati spiritali, in casu paupertatis Chyrurgus sine pretio tenetur, ac obligatur sectionem præstare ità allegatus *num.* 161. Raynaudus *c.* 2. *num.* 12. quod procedit, dum constat de necessitate extrema: at dum est hæc in dubio, uti in casu proposito, in quo obstetrix censuit fœtum mortuum, quisque secandi peritus debet id muneris exercere, siquidem sine gravi incommodo præstari potest, Gobat cit. *vers.* Respondeo tertio. obligans Parochum, aut confessarium fortè præsentem, ut moneat præsentem de hac obligatione.

Demum deobligat præfatum maritum ad conducendum tantò pretio Chyrurgum, si minore non poterat quia ad tantum incommodum non apparet obligatio, dum est probabile periculum eventus frustrandi. At divites propinquos, si qui essent fortè obligaret: Ego autem eos obligarem, si hoc pretio non graviter onerarentur.

Demum Parochi, & Confessarij in similibus eventibus fœminarum gravidarum in mortis periculo, invigilent, ne hæc sectio negligatur, moneantque ut agonizantibus imponatur aliquid intradentes pro respirationis via, uti monui *num.* 160.

166. Quæres tertio. An Judex Ecclesiasticus possit specialem obligationem instituere in denuntiatum confessarium de fracto sigillo, ut si hic detegat quadam scelera de Titio, quæ non potuit scire, nisi ex confessione. De hac quaestione nullus scripsit teste Gobat *tr. 7. num. 847. & Theolog. Jurid. Mor. c. 42. S. 7.* supponendum est ut certum omnes, ad quos sine licentiâ pœnitentis immediatè aut mediatè pervenit notitia Sacramentalis Confessionis eos sigillo naturali sub reatu mortali adstringi arctissimum silentium, ut interpretes pœnitentis, superior, ad quem casus reservatus deferretur, consiliarius ex licentiâ pœnitentis consultus, audiens confitentem, & quotquot audiverunt ex confessario, ut & legens chartam Confessionis.

Controversum est, an hi recensiti non minùs ac confessarius stringantur sigillo Sacramentali: pro hoc stat Soarez *tom 4. de Pœnit. D. 35. S. 4. Lug. de Pœnit. D. 23.* ( hi duo excipiunt cum Laym. eum qui chartam confessionis legit ) Gobat *tr. 7. num. 853.* E contra pro naturali Tanner. Valent. cum S. Th. *in supplem. q. 11. art. 3.* volentes solum Sacerdotem propriè teneri sigillo confessionis, inter quas sententias, ut benè notat Gobat *num. 852.* in praxi vix esset differentia si omnes Doctores secundæ sententiæ cum Tanner & Valent. sustinerent etiam istud sigillum naturale pro omni casu esse inviolabile, ac sub culpa sacrilegij obligare. Verùm cum Vasquez. Hurt. Medina apud Dian. *p. 5. tr. 11. Resolut. 11.* existiment sigillo naturali obligatos posse revelare secretum ad aver-tendum gravissimum malum, idcirco plu-

rimum differt quoad usum sententiæ secundæ à prima.

Ex quibus consequitur, quod inhærendo primæ sententiæ judex non poterit inquirere, & examinare testes tum de fama revelationis, tum immediatè de ipsa revelatione, cum nemo eorum, ad quos pervenit Sacramentalis notitia sine sacrilegio de revelato crimine possit loqui, ergo nec judex incitare, hoc enim foret scandalum activum, cum nemo eorum, qui mediatè aut immediatè cognoverunt peccatum in confessione detectum, testari possit in judicio, & quidem etsi jam esset publicè notum, seu factum notorium absque licentiâ id confessi, Gobat *Theolog. Jurid. Mor. c. 42. sec. 7. in Edit. 1. num. 202.* cum Soarez *Sec. 4. nn. 8.* & alijs. His suppositis.

167. Respondeo cum Gobat *cit. c. 42. à num. 203.* ad quaestionem propositam trifariam à confessario posse revelari crimen e. g. Titij, primò indeterminatè abstrahendo ab omni specie. Secundò aliquod crimen grave in genere, quoad speciem indeterminatum. Tertio determinatum in specie e. g. furtum leve, aut mendacium Jocosum. In primo judex debet procedere ad probationem famæ per idoneos testes ex Doctrin. Innoc. *in c. cum oporteat de accusat.*

Post probatum famam debet specialiter inquirere in Confessarium fama enim publica sufficit ad inquirendum specialiter *C. qualiter, & quando de accusat.* est enim loco accusationis, nempe ortum habens à viris honestis, uti dicitur in *cit. Cap. nec eo casu* inquirendo judex incitat Confessorem ad revelationem sigilli, quia

Q2

quia non apparet periculum detegenti peccatum certæ alicujus personæ.

E contra in secundo, & tertio casu judex tenetur non inquirere in famam, quia quos utiliter ad suum intentum interrogaret judex, obligantur sigillo confessionis, quod frangerent sive testentur in specie de crimine etiam levissimo, sive generatim, aut indeterminatè aliquod crimen grave Tanner. *to. 4. D. 6. q. 9. num. 128.* Soarez *Sec. 3. num. 1.* ex communi ubi meritò asserit esse mortale peccatum etiam minimum in specie revelare, cedit enim in gravem Sacramenti irreverentiam, abstererentur enim homines à Confessione venialium.

Insuper, ut subdit Gobat *num. 209.* Judex tunc violaret sigillum, nam notitiam habet mediatè ex revelato à confessore peccato, unde inquirendo in famam indirectè revelaret confessionem, ac inde deducit fore culpæ gravis reos, qui denuntiarent judici, quod fama gliscat de tali confessore, hunc ex notitia Sacramentali dixisse de Titio quoddam grave Crimen.

Dices ergo impunitus manebit Confessarius, si denuntiari non potest. Respondeo non mansurum impunitum, si debitè ut potest, denuntietur: potest enim ut debet sic denunciari: constans est fama talem Confessorem revelasse confessionem: hujus famæ testes sunt Stichus, & Mævius Gobat *num. 211.* sic enim non frangi sigillum constat ex primo modo factæ revelationis.

168. Colligitur ex proximè dictis primo quod judex intelligens esse per confessarium detectum Titij homicidium, non possit à Titio petere licentiam inqui-

rendi in famam, aut examinandi confessarium de homicidio propallato, quia exprimendo homicidium violaret sigillum Confessarius, ut dictum paulò ante, Titioque magnum ruborem incuteret, consequenter etiam Judex frangit, ac cooperatur Confessarij fractioni, salvo ergo sigillo debet hoc modo petere facultatem à Titio, dicendo in confuso intellexi, quod Confessarius tuus cajus revelaverit Confessionem tuam, si vis, volo nominare peccatum, de quo te infamavit, ut de eo facilius convincatur: si Titius annuit, examinet judex testes famæ præsertim illos quibus fertur Confessor prodidisse. Gobat *num. 213.*

Colligitur secundò Confessarium Cajum sine facultate Titij pœnitentis à judice examinari non posse, quia sine licentia Cajus fatendo se homicidium perpetrâsse gravissimè peccat directè frangendo sigillum. (nisi aliunde noverit, aut habuerit à Titio licentiam revelandi, si hanc licentiam neget Titius, in dubio præsumendum est pro licentia data, cum non expediat hanc scripto dari, Gobat *num. 215. juncto 217.* notans cum licentia talis, nisi ex causa urgente non soleat concedi, non erit dubium, sed præsumptio pro non concessa) unde si examinetur à judice quærendo ex Cajò, cur fregerit sigillum, sicut fateri non potest fractionem, ità etiam non potest omninò coram judice silere, quia silentium præberet ansam sufficientem judicandi, quod solo metu frangendi sigilli taceat. Et sic indirectè frangeret sigillum, Gobat *num. 216.* Soarez *Sec. 6. num. 7.* asserentes debere Cajum absolutè negare se ulli de tali homicidio locutum, aut audivisse

con-

contra Palud. & Sotum obligantes ad nihil respondendum, sed ad objurgandum interrogantem, aut potest Cajus æquivocare, quo casu si hæreticus urgeret confessarium, ut sine æquivocatione respondeat, an Titius Confessus sit homicidium, posset securè dicere, *DEUS est mihi testis me nulla prorsus uti. nempe illicitum*, Gobat *nu.* 841, addens dicere non posse, *nefas est mihi revelare quæ excepi in confessione*, sic enim indirectè videtur indicare sibi non esse ignotum homicidium: de quo fusè Dicastill. *de Pœnit.* *D.* 12. *dub.* 7. Expediorem modum suggerit cit. Gobat *num.* 218. si primò quærat judex ex Cajo confessore utrum Titius ei dederit licentiam revelandi peccatum ejus, si affirmat, in dubio ei credendum, uti proximè monui, & patet ex *num.* 152 *vers.* *Quid si hæredes.* Si neget, non potest quæri ex illo, *cur sigillum fregerit* juxta Doctrinam hujus, & prioris numeri.

169. Quæres quartò, quales, & quot testes sufficiant ad convincendum Confessarium de fracto sigillo, ut pœna ordinaria illi infligi possit, & quæ illa sit. Respondeo ad primum cum Gobat cit. *o.* 42. *num.* 214. sufficere duos contestes idoneos juxta *c. placuit.* 2. *q.* 5. unde *c. Presul.* requirens septem pro condemnatione etiam ostiarij abrogavit consuetudo, Laym. *lib.* 3. *tr.* 6. *c.* 4. *num.* 3. imò cum crimen hoc sit probationis difficillimæ, sufficere testes singulares censet Tanner. *tr.* 4. *D.* 6. *q.* 9. *dub.* 6. *n.* 122. Duos tamen pœnitentes in vita parum probatos non sufficere contra Confessarium bonæ famæ etiam ad pœnam extraordinariam docet Dicast. *de Pœnit.*

*Dis.* 12. *num.* 63. approbatus à Gobat cit.

Respondeo ad secundum in jure statui primò depositionem ferendam à judice, & perpetuam peregrinationem. *Can. Sacerdos de pœnit. dist.* 6. secundò in *C. omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss.* detractionem in perpetuum monasterium, unde merito colligit Soarez *Sec.* 8. *num.* 1. per hoc Capitulum esse sublatam pœnam peregrinationis. Etiam quandoque tales Confessarios plecti capite testantur aliqui apud Gobat *trac.* 7. *num.* 842. qui *num.* 844. ait. hoc tempore difficulter posse praticari inclusionem in claustro, nec sufficienter constare, an pœnæ statutz etiam stringant violentes indirectè sigillum? nec dum directè læsum est sigillum, esse in potestate judicis inferioris pœnam ordinariam commutare in arbitrariam. e. g. multam pecuniariam, quæ sit proportionata eaque gravissima respectu personæ ceteroqui bonæ, hodie tamen esse arbitrariam pœnam etiam à jure determinatam scribit maranta *in speculo p.* 4. *D.* 1. *num.* 61. approbatus à Gobat in contingentiâ facti.

Quæres quintò an Confessarius audiens peccatum commissum cum complice e. g. Religioso licitè quærat ex pœnitente nomen complicitis ex fine illum accusandi aut denunciandi apud superiorem, aut ut ipse Confessarius eum corrigat, & an aliquando teneatur dare facultatem hanc pœnitens, complicitumque nominare? Respondeo primò nunquam licitè posse à Confessario quæri nomen complicitis ex fine puniendi, quia est contra dignitatem hujus Sacramenti, ac ejus institutio-

tutionem habere pro fine pœnam, seu  
punionem Sacramentalem.

Respondeo secundò et si confessarius intenderet solùm paternam complicis per superiorem correctionem, adhuc per se loquendo illicitè quærir, quia per se loquendo est contra charitatem, imò & iustitiam sinè urgente causa complicem infamare apud superiorem; idcirco nec pœnitens potest sinè necessitate pari nominare, præsertim si jam cessavit occasio peccandi, aut si per se immediatè pœnitens, aut hic per alium, quam per confessarium denuntietur complex superiori (hic modus non reddit odiosam confessionem, secùs si confessarius ipse denunciaret, aut corrigat) hunc enim modum ex fine correctionis extorquendi nomen complicis ut illicitum tuetur Diana. pag. 5. tra. 11. Resol. 39. post Malder: & alij apud Soarez tom. 4. de Pœnit. D. 34. Sec. 4. num. 3.

Cum quo à n. 16. ad 21. sequentia adnoto in obvijs authoribus non reperibilia pro directione confessarij, ac obligatione pœnitentis in hac quæstione quoad praxim valdè difficili, unde quàm cautissimè se gerat Confessarius. Primò nunquam se sponte offerat ad corrigendum complicem, si hic est jam proditus et si videat convenientiam aut necessitatem, cum fortè pœnitens per se ipsum corrigere possit, aut per alium aptius, quàm per confessarium, estquè hoc omnino consultiùs Gobat. num. 250. Secundò caveat, nè à pœnitente exigat aliquid ut præceptum, ad quod re verà non tenetur, sed duntaxat licitum: cum aliud sit pœnitentem posse licitè uti industrià Confessarij ad correctionem complicis, &

aliud ad hoc teneri, nam rariùs obligatur, sæpiùs verò licitè potest. Ut enim liceat uti trium concursus sufficit. Primum est, quod correctio complicis sit moraliter necessaria, unde si est jam emendatus, aut non est probabilis ratio timendi relapsum, non debet prodi: secundum est, quod pœnitens nequeat facilè utiliter seu fructuosè corrigere illum. Tertium est, quod pœnitens speret fore utilem correctionem per Confessorem.

E contra ut pœnitens sit obligatus uti operà Confessoris, ultra tria præfata, est primò necessarium ex parte complicis, quod ipse graviter egeat, sitquè in periculo novi lapsùs, aut alterius damni notabilis alicujus proximi, cui pœnitens nec per se, nec per alium idoneum mederi potest, ita ut evidens sit evidentia morali, ad id munus esse necessariam operam confessoris, tunc enim cogi potest, ut revelet: imò nec hoc exigit præceptum divinum de corrigendo proximo, ut id fiat vià confessionis, cum sufficiat si extra confessionem pœnitens det jus utendi, nisi prudenter timeat, quod confessarius occasione data licentiæ extra confessionem, sit violaturus aliud secretum naturale, tunc enim non potest cum periculo infamandi complicem extra confessionem, sed sub sigillo hujus concedere licentiam Soarez num. 18. & seq.

172. Ex hac doctrinà optimè deducit Soarez num. 20. Confessarium tum posse licitè munus correctionis complicis acceptare, ac exequi, quando concurrunt illa tria in pœnitente requisita, ut licitè utatur operà Confessarij. Ut verò teneatur insuper est necessaria conditio proximè desiderata in pœnitente, nempe

pe dum Confessor prudenter judicat hoc medium esse necessarium: quo casu regulariter magis expedit, ut pœnitens extra confessionem dicat ad liberius fungendum suo munere hoc secundum habet minus periculi præsertim si scripto detur facultas cum nomine, & crimine complicis, hocquè expedire censet Gobat *tr.* 7. *num.* 257. Lugo de pœnit. *D.* 16. *num.* 432. Dicastill. ne violatio sigilli putetur, ac ne postea pœnitens negare possit.

173. Necessitas hæc, ut observat Lugo, & Dicastill. facilius potest contingere in Religione, ut si confessarius, aut Prælati inrelligat ex pœnitente esse aliquem in domo caterorum corruptorem: Confessarius obliget pœnitentem, ut manifestet complicem non sibi, sed Prælati, quem si non potest, aut ex certâ causa nolit adire, debet per alium saltem per confessarium dando sufficientem notitiam ad præcavenda damna. Si subditus confitetur Prælati, hic non potest illum censuris compellere ad revelandum complicem, quia non ut Prælati, sed ut Confessarius notitiam hanc habet, nequit autem censuras ferre, nisi ut Prælati, proinde solum potest illi negare ut indisposito absolutionem.

174. Respondeo tertio ad quæstionem quintam per se loquendo usum notitiæ confessionis de licentiâ pœnitentis ad corrigendum complicem esse licitum, possequè aliquando esse necessarium, raro tamen. Pars prima est communior cum Soarez à *num.* 5. Lugo de Pœnit. *D.* 16 *num.* 429. Ratio est, quod non fit contra sigillum loqui de rebus in confessione auditis etiam pertinentibus ad complicem de licentiâ pœnitentis, nam

quoad concernentia personam complicitis sigillum non est in favorem complicitis per se, ac directè, ergo potest sine ejus voluntate illo privari cum respiciat illud, complicem duntaxat ex quadam consequentia, quatenus oritur ex favore pœnitentis, & Religione Sacramenti: Religio Sacramenti plus non postulat, quam ut secretum pendeat ex honesta voluntate pœnitentis, & quod possit notitiam illam ordinare ad utilitatem præsertim spiritualem suam. Non etiam fit injuria compliciti, etsi correctio ipsi ruborem incutiat, dirigitur enim ad bonum ipsius, aliàs fraternalis correctio esset injusta, si erubescencia hæc esset injusta.

Probaturs pars secunda quod aliquando sit usus licentiæ hujus necessarius ex *num.* 171. *vers. è contra* quia potest contingere, quod nullus alius aptius valeat malo occurrere, Lugo. *num.* 424. ponit sequentes casus, in quibus pœnitens potest obligari ad prodendum complicem. Primo si complex spargat errores contra fidem. Secundo si confessarius abutatur Sacramento confessionis, revelando audita, aut sollicitando ad turpia. Tertio si Sacerdos fictus ministret publicè Sacramenta. Quarto si fœmina ex sollicitatione à cohabitante in eadem domo versetur in periculo succumbendi, & si marito diceret hic sollicitantem occideret, in hoc, & prioribus casibus dum nec pœnitens nec alius præter confessarium potest adferre remedium, debet detegere complicem cum licentiâ illum emendandi, aliàs non absolvendus.

Præter meam opinionem excrevit discussio materiæ sigilli Sacramentalis, sed cum plura per decursum elucidata non  
per-

pertractentur ab obvijs summistis, neque hæc sint extra limitès præsentis tractatùs per *num.* 149. & aliunde à confessarijs sciri debent, ingrata non erunt.

Pars tertia quod rarò sit hæc necessitas facilè constat à *num.* 170. cùm regulariter vel pœnitens ipse, aut alius valeat medelam afferre.



### §. XXI.

*An in occasione permissa, aut oblata peccati imputetur peccatum eam permittenti, aut offerenti?*

175. **Q**uaeres primò: An peccandi occasionem permittenti imputetur peccatum? Respondeo peccatum permissum imputari permittenti facile ab eo impedibile, quando finis permissionis est, ut deprehensus puniatur, secùs si finis est correctio deprehendendi, aut ut permittens se servet indemnem. Probat<sup>ur</sup> pars prima, quicumque permittit peccatum facile impedibile, ac sinè causa rationabili, illi imputatur peccatum contra charitatem proximi, sed supponitur in casu esse facile impedibile ac sinè causa rationabili nec punitio deprehendendi, quæ est finis permissionis, est causa rationabilis, quia nequit esse per se digna ut appetatur, siquidem proprie talis non solet imponi, nisi propter peccatum commissum, ità Pal. *tom.* 1. *sr.* 6. *D.* 6. *pag.* 5. *num.* 2. Sanch. *lib.* 10, *de Matr.* *D.* 12. *num.* 52.

Hinc deducunt mortaliter peccare custodes nemorum se abscondentes, ut viatores ingredienti ad credendum cogantur solvere pœnam.

Probat<sup>ur</sup> secunda pars, permissio

peccati non est ità intrinsecè mala, ut nequeat honestari ex causâ justâ aliàs DEO permittenti peccata imputaretur. Sed correctio deprehendendi est causa justa, ergo citati Doctores. Addit Pal. debere ferè certo constare quod sequatur emendatio. Oppositum sentio cum Trullench. *lib.* 1. in Decal. c. 6. dub. 5. n. 22. Contento probabili spe correctionis, qualis foret, si non constet certò de non secutura emendatione, aliàs raro, aut vix unquam esset permissio licita.

Pars tertia probatur exemplo mariti prudenter suspicantis uxorem suam adulterari, aut etiam scientis, sed probare impotentis, unde ut probare possit, occultat se cum testibus, ut procius in delicto deprehendatur, & ipse possit divortium facere. Jam probatur: licita est, adulterij permissio ex causâ justâ, ut proximè pramissum, sed in casu præsentis permissio adulterij est ex causâ justâ, nempe ad amoliendam à se injuriam (quam patitur ab adultera uxore) per divortium, quod cùm sperare nequeat, nisi probetur adulterium: ideò adhibet duos testes, qui-

quibus uti possit ad probationem criminis, Pal. num. 4. Sanch. cit. num. 52. Mol. de Just. tr. 3. D. 55. in fin.

176. Quares secundò: an ex finibus relatis ad priorem quæstionē citra scandalum possit positivè afferri occasio alteri ad peccandum, e. g. mulier sapius sollicitata ad violandum thorum, an ex consensu mariti possit proco dicere æquivocando: contenta sum, ut tali horâ venias, ostium erit apertum? Hæc verba significare quidem possunt, quasi mulier acceptet petitionem copulæ, annuatque: eadem salvari possunt sine tali animo, mulier enim potest esse contenta, ut per ostium ingrediatur, tali horâ, ut à marito deprehendatur, ac accusetur, sicque mulier redimat vexationem sollicitationis. Illa igitur verba sunt æquivoca, ac indifferentia, ut procus veniat, vel ad adulterium, vel ad hujus intentati accusationem, ac pœnam, ut mulier suum defendat honorem, ac molestiam tollat. Exemplum hoc adducit Joan. Sanch. D. 35. in fin. affirmativè respondens ad quæstionem; quia est justa causa in his circumstantijs æquivocandi, verba autem allata non significant determinatè consensum ad adulterium, sed indeterminatè, ac indifferentè, & mulier intendit ut liberetur à molestiâ, Laym. lib. 2. tract. 3. §. 13. num. 5. §. 3. resolves loquens de famulo suspecto, quem ut deprehendat, & efficaciter emendet, impediâtque gravius malum, ponit pecuniam ad mensam aut clavim ad almare pecuniarium, id licere probat, quòd non formaliter coope-

retur peccato famuli, sed materiam subministrando illud permittit, ad impediendum majus malum, qualiter DEUS permittit plurima peccata etiam materiam subministrando, ob majora inde bona elicenda.

Thomas Sanch. cit. num. 53. & alij communiter negant arbitantes talem actum esse positivam, eamque directam cooperationem, eo quod illa oblatio mulieris sit expressa acceptatio adulterij. Pal. n. 6. quæstionem non definit, sed judicio Doctorum submittit.

Haunold. Theolog. Scholast. lib. 3. tr. 3. cap. 2. Controvers. 8. distinguit: negans, si occasio offeratur ex intentione, ut alter inducatur, tunc enim est locus sententiæ Sanchez; affirmans verò secluso animo, mulierque non optet acceptari occasionem, sed offert velut actionem indifferentem eo modo, quo petens muruum à sceneratore, dissuadet tamen ob periculum perversæ intentionis.

Respondeo mihi videri probabiliorē affirmativam ex rationibus ad illam datis, improbo tamen in primo exemplo si verba illa fiant ex fine illum sollicitantem mediante accusatione puniendi propter responsum primum num. 170. pœna enim cum supponat culpam, intendens illam videtur intendere culpam. Unde cum accusatio naturâ suâ, uti & denuntiatio judicialis tendat ad pœnam, non videtur licitè intendi: at benè correctio, seu emendatio.

\* \* \*



## §. XXII.

*An & quando culpa familiae non jejunantis imputabilis sit  
Patrifamilias. Ubi incidenter de excusatis à jejunio, & an  
sexagenarij libri sint à voto jejunandi olim emisso?*

177. **R**esolvitur ex præcedente doctrina illa quaestio, an die jejunij pater, aut materfamilias debeat competentem pro una refectione mensam instruere, ut possint jejunare famuli, ac officiales ad jejuniura compellere, vel verò canam apponere violaturis jejuniura. Respondeo primò familiam occupatam gravibus laboribus, potiore dici parte excusari à jejunio, atque adedò his possunt apponi cibi soliti dari diebus non jejunij. Ejusmodi labor est fabrilis, ferrarius, lignarius, murarius, fossorius, agricultorius, lapicidarius, bajulatorius onerum gravium, pistorius, textorius (nisi textura sit non defatigans, qualis est textura vittarum) fullonarius quoad vacantes lavandis telis, & pannis, argentarius quoad eos, qui malleo argentum, aut aurum extenuant; navigatorius quoad remigantes, librarius quoad versantes prælum (secùs quoad componentes in ordinem Characteres) Coriarius, Sutorius quoad suentes, nisi corium tam molle, ut instar panni consuatur, tunc enim æquiparantur sartoribus per se non excusatis.

Denique universim excusantur omnes reliqui artifices, seu opifices hic non nominati, quorum ars mechanica est la-

boriosa, uti & prægnantes, ac lactantes, iter pedestre die totà, aut potiore parte agentes, ex his actionibus plerasque recenset Layman. *lib. 4. tract. 8. cap. 2. à num. 3. Less. lib. 4. cap. 2. num. 42.* excusans ferè omnes mechanicos, Bassac *verbo jejuniura II. num. 7. à vers. ubi laborem.* plerosque præfatos expriment. Ratio horum omnium est, quod omnes ejusmodi egeant copiosis spiritibus, quorum jactura, nisi reparetur, immunit Corpori notabilis debilitas.

Et quia corpus in media senectute (qualis est juxta medicos sexagenariorum) uti repletionem, ita inedia facile læditur, & precipitatur, & ideo præsumunt non posse, nisi de contrario constet, præsertim cum experimentum sit periculosum, Less. *num. 41.* cum Cajet. Sanchez *lib. 7 de Matr. D. 32 num. 17.* ubi etiam subtilissimè disputat, an scemina exmanantur anno ætatis 50. & tandem concludit in praxi quoad hoc punctum sententiam affirmantem non esse tutam. Idem censet Laym. *num. 2.* addens se nescire ullum classicum Doctorem ejus defensionem &c.

Respondeo secundò familiae non excusatae à jejunio teneri Patres, matresque familias die jejunij cibos jejunio observantibus

do

do congruentes apponere, Sanch. lib. 5. Consil. c. 1. dub. 17. num. 3. probatur ex 2. ad Timoth. 5. Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior. Ex quo patet, quod debeant familiam monere suae obligationis, quae monitio ne sit frustranea tenentur cibos proponere tempori congruos.

178. Dixi monere, quia an compellere possint ad jejunandum est incertius. Affirmant Sporer in Append. ad 3. praesep. Decal. Sec. 3. num. 45. ex communi, eamque tradidit post Sot. Bonac. tom. 2. D. 6. p. ult. num. 2. Ratio hujus videtur fundari in communi sententia, ac jure concedente Patrifamilias potestatem coercendi, ac puniendi leviter, seu moderatè domesticos L. unic. c. de emendat. servor. &c. S. Th. 2. 2. q. 65. art. 2. in fin. Corp. asserens licitam esse verberationem servorum correctionis, ac disciplinae causa, Laym. lib. 5. tract. 10. p. 3. c. 2. num. 7. familia domus, inquit, est communitas imperfecta, ergo sicut qui praestitit perfectae communitati e. g. urbi, aut Republicae, habet perfectam coercendi, inferendique graves poenas potestatem, ita Patrifamilias caput domus velut communitatis imperfectae habet potestatem hanc coercendi, ac imponendi poenas leves, ut est subtractio cibi, verberatio aliqua spectata personae qualitate: sunt enim quaedam personae domesticae, quas ob status libertatem non est consuetum verberare, ut mechanicos laborantes pro mercede Magistri non possunt verberare. Laym. num. 9.

Sanch. lib. 5. Consil. c. 1. dub. 17. num. 3. distinguit negans de famulatio

defectu jurisdictionis spiritualis, seu facultatis coercitivae: si ergo monitio non prodest, potest, imò debet ijs dare cenam, licet sciat non jejunaturos (nisi sciat semel aut iterum eam negando probabiliter famulos se emendaturos) quia actio haec est indifferens, & spectat ad officium Domini liberaliter alere famulos. Ità ille è contra affirmat quoad proles, quia Paulus ad Ephes. 6. obligat patrem ad filios educandos in disciplina, & correctione Domini. Tamb: lib. 4. decal. c. 5. §. 6. num. 2. negat etiam proles à parte familias compelli posse ad jejunium, quia videtur actus jurisdictionis spiritualis.

Respondeo in hac diversitate opinionum mihi videtur dicendum posse compelli, quia viro coercendi non solum proles, & uxorem sed etiam familiam passim concedunt Doctores nullo contradicente apud Laym. cit. num. 7. sed subtractio secundae refectiois requisita ad jejunium: eique substituendi vespertinam Collaciunculam non excedit potestatem coercendi, haec enim non est gravis, eamque concedit Laym. ergo Patrifamilias potest subtrahere secundam Refectionem, quae subtracta sequatur substantia jejuniij.

Nec haec subtractio est actus jurisdictionis spiritualis. Unde etsi jejunium ut est actus jurisdictionis spiritualis sive impositum in foro interno à confessario, sive in foro externo Ecclesiastico imponi non possit ab ulla potestate laica, prout tamen est actus virtutis moralis temperantiae potest imponi à potestate laica, consequenter etiam à Patrifamilias. Hinc censeo probabilius per se loquendo patrefamilias non posse die jejuniij, si in

prandio data fuit refectio congrua, seu accommodata jejunio, cœnam apponere familiæ, quia appositio est actio cœperativa nimis propinqua, sinè qua uti supponitur probabiliter cœna omitteretur, ita Laym. *lib. 2. traët. 3. cap. 13. num. 5. vers. Quarto resolves.* si petas quales cibi requirantur, ut censeatur prandium jejunio congruum. Respondeo requiri magis nutritivos, quàm sint fructus, & olera, unde habens panem sufficientem cum præfatis non tenetur jejunare, ita Bassæus *verbo jejunium II. num. 6. vers. sed petes.* citans cit. Sanch. *dub. 15. Addit. vers. Sed dubium.* quod habens solum panem probabiliter vesci possit carnibus, quod alij concedunt si per plures dies careret alijs cibis.

179. Breviter insinuavi sub finem *num. 187.* Sexagenarios excusari à jejunio, & quidem probabilius etiam robustos cit. ibi Sanch. contra. Cajet. *Less. lib. 4. cap. 2. nu. 41.* nam ad vitandos scrupulos expedit generatim esse definitam legis jejunandi obligationem, ut sciatur, qui eximantur, sicut definita est in juvenibus, antequam non obligentur, nempe usque ad 21. annum ætatis (esto multi ante hanc vires habeant ad jejunandum) quia hucusque natura accrescens eget nutritione majori, sed etiam potiores ab anno sexagesimo deficiunt viribus, ergo expedit hanc ætatem esse definitum pro deobligatione.

Hinc incidenter dubitatum an voto perpetuo adstrictus jejunare, post annum 60. maneat ab eo liber, etsi sit robustus, nisi expresserit, quod velit jejunare, quamdiu poterit.

Affirmat Sanch. *lib. 4. Decal. cap. 11. num. 54* ex regula ab eo data *num. 31.* quod voti obligatio nisi constet de opposita intentione voventis fit intelligenda perinde, ac si esset de eadem re lex ab Ecclesia lata, votum enim est quadam lex, quam vovens sibi imponit, ergo cum probabiliter cesset obligatio Ecclesiastici jejunij anno sexagesimo etiam in robustis, cessabit quoque voti perpetuo jejunandi. Idem docet Tamb. *lib. 4. Decal. cap. 5. §. 7. num. 9.* cum Fagundez &c. Laym. *lib. 4. traët. 8. cap. 3. num. 2.* rejicit hanc opinionem ut improbabilem asserens votum jejunij obligare quidem instar præcepti Ecclesiastici quoad formam, & modum jejunandi, non item quod attinet ad personas, sic etsi adolescentes deobligentur à præcepto Ecclesiastico, possunt tamen voluntariè sibi hanc obligationem imponere per votum editum, ut fit in Ordine Fratrum Minorum S. Francisci, in quo obligantur ad jejunia Regula, ergo similiter sexagenarij robusti, etsi deobligatos supponamus à lege Ecclesiastica jejunandi non tamen à voto jejunandi in perpetuum emissio. Laymanum sequitur Sporer *in Append. ad 3. præcept. Decal. Sec. 14. num. 51.* Sed contra est: hic author eodem loco, & Bassæus *verbo Jejunium II. num. 6. vers. Petes, an Religiosi,* probabiliter cum alijs deobligant suos religiosos sexagenarios à jejunijs Regula, ergo etiam deobligantur voventes jejunium perpetuum facti sexagenarij, nisi intentio opposita constet. Video disparitatem, quod uterquè citatus Author testetur jejunium Regulae suæ non tam voto promitti, quàm præcepto Regulae imponi, & ideo regulanda esse secundum

nati-

naturam præcepti Ecclesiastici. Inſto etſi jejunia Regulæ non ſint immediata materia voti, ſunt tamen mediata, quatenus immediata materia voti obedientiæ eſt Regula continens præcepta, ergo ſi hæc mediata obligatio voti ceſſet in Religioſis ſexagenarijs, ceſſabit etiam in caſu noſtro, licet jejunium ſit materia immediata voti.

Reſpondeo omninò ſuadendum eſſe opinionem Laymanni, non tamen video improbabilitatem ſententiæ Sanchetii, quod Laym. neget votum jejunandi quoad perſonas inſtar præcepti Eccleſiaſtici ſtrin-

gere ducto argumento à Juvenibus Ordinis S. Franciſci, quorum votum ſpectando perſonas non obligat inſtar Eccleſiaſtici, ſed duntaxat quoad formam, & modum jejunandi, non convincit improbabilitatem ſententiæ Sanchez, ſiquidem tam Baſſæus quàm Sporer ambo Ordinis S. Franciſci probabiliter eximunt ſuos ſexagenarios, proinde interpretantur obligationem ſuorum ſenium inſtar præcepti Eccleſiaſtici non ſolùm quoad modum jejunandi ſed etiam quoad perſonas.

\* \* \*



§. XXIII.

De ornatu Mulierum.

180. **Q**uæres, an fœmina peccet mortaliter peccato ſcandali in cauſa, dum cultu externo ornata ſe exhibet videndam ſciens alios tali ornatu ad amores illicitos commoveri. Nomine ornatûs intelligo cum Tamb. *lib. 7. decal. cap. 8. §. 8. num. 1.* Leſſ. *lib. 4. cap. 4. dub. 14. num. 105.* omnem cultum muliebrem, ut pigmenta, comam appoſititiam, intortos capillos, pectoris nuditatem, ornamenta aurea, gemmata, novas veſtium formas, præfertim ſi his utantur præter conſuetudinem, aut ſupra ſtatum.

Reſpondeo primò certum eſſe ijs licitum eſſe ornatum pro ſtatûs conditione hoc enim laudabile, Leſſ. *num. 107.* Reſpondeo ſecundò etiam certum eſſe

maritalis, vel aspirantibus ad matrimonium licere ſe ornare pro decentia ſtatûs, ut viris placeant ſuis, aut ut virorum aſpectibus arrideant ad commodas nuptias conſequendas, Leſſ. *num. 108.* ex S. Th. 2. 2. *quæſt. 169. art. 2. ad 4.* dicente: *mulieres licitè poſſe ſe ornare, ut conſervent decentiam ſui ſtatûs, vel etiam aliquid ſuperaddere, ut placeant viris*: ubi S. Th. permittit ornatû etiam ob ſolam pulchritudinem. Ratio eſt, quod natura dederit fœminis pulchritudinem in fomentum conjugalis amoris, ergo juxta ſuum ſtatum poſſunt illam deſiderare, & procurare etiam arte ſecluſo exceſſu, ut viris placeant, aut commodos nanciſcantur, finis enim hic eſt honeſtus.

R 3

Re-

Respondeo tertio videri pariter certum praefatas mulieres se ornantes tam nuptas, quam innuptas praecise, ut habeantur pro pulchris, & ut laudentur peccare, quia finis est vana gloria, & iactantia, non tamen mortaliter, quia non est gravis deordinatio, Less. *num.* 109, & S. Th. *in Corp.*

181. Resp. quartò excessum in ejusmodi ornatu ex se non esse mortalem tradit Less. *num.* 110. Laym. citandus *num.* 11, ex S. Th. qui in corpore reducit eum ad quandam levitatem, & vanitatem venialem: ad quartum autem ad superflua, & curiosa, quia excessus in appetitu, ac usu rei non male per se, est ex se culpa solum levis, uti patet in excessu cibi, aut potus &c. qui tantum est mortalis ratione gravis damni, ergo etiam per se non est mortalis excessus in exornando corpore, sed venialis ob levem inordinationem. Unde S. Th. *ad 2. & in Corp.* fucatas feminas non damnat peccati mortalis, nisi solam fucationem ex fine provocandi ad lasciviam, aut in contemptum DEI, hoc autem communiter non fit, sed solum sicut appareant pulchrae, imò ab omni culpa liberat S. Th. fucum, qui fit ad tegendam maculam.

Respondeo quintò feminas esse reas lethalis noxae tali ornatu utentes, quo sciunt alios irritari ad illicitam concupiscentiam, si in eo ornatu solum finem vanum sibi praefigant, secus si spectent patriam morem, ita Haunold *lib.* 4. *Theolog. Scholast. tract.* 2. *contr.* 8. *num.* 609, quia quisque sub gravi obligatione tenetur impedire peccatum mortale proximi, dum potest absque notabili damno, atque feminae possunt sine notabili damno im-

pedire non se ornando ex fine merè vano, è contra si id faciant ex fine honesto e.g. ex more patriae, cum difficile sit illis incedere praeter, aut contra patriam morem, cum difficile sit illis incedere praeter, aut contra patriam morem, non peccant mortaliter.

Hinc rectè scribit cit. Less. *num.* 113, certum esse mulierem non teneri se domi continere ex eo, quod multi ex ejus aspectu provocandi putentur ad prava desideria, quia id esset nimis difficile, ac plenum scrupulis; ornatus enim non est scandalosus ideo, quod multi credentur occasione illius lapsuri, alioquin etiam naturalis pulchritudo esset scandalosa cum haec magis, quam artefacta allicere soleat, ergo non est obligatio saltem mortalis talem ornatum deponendi, aliàs esset naturalis pulchritudo sub reatu tali occultanda, sicut qui à multis odio habetur non tenetur vitare publicum, ne det occasionem odii: ratio est quod ornatus remore solum provoet ad inhonestam, unde si qui inde scandalizantur, scandalum hoc non est datum, sed acceptum, seu proveniens ex malitia. Eandem doctrinam sustinet Laym. *lib.* 2. *tract.* 3. c. 13. *num.* 10. Pal. *tom.* 1. *tract.* 6. *Dis.* 6. *pag.* 7. *num.* 1. Sanch. *lib.* 1. *Decal.* *cap.* 6. *num.* 17.

Respondeo sextò feminam conscientiam, quod certus adolescens, aut vir ex sui aspectu, & ornatu sit graviter scandalizandus, mortaliter peccat si nullam necessitate, aut utilitate sed mera vanitate, ducta se ei conspiciendum offert. Ratio est data in responso quinto, & in hoc convenire omnes debere merito sentit Pal. *num.* 4. qui *num.* 7, ab omni peccato

excu-

excusat factum Judith se exornantis, & sic DEUM orantis. Judith. c. 9. *Capiatur laqueo oculorum suorum in me*: finis enim non erat excitatio ad libidinem, sed ut provocaretur ad amorem, & familiaritatem honestam, uti explicat Glossa. Post hæc scripta incidi in virum è Societate Jesu doctissimum Honoratum Fabri, qui in suo *Apologetico Doctrinae moralis, ejusdem societatis*, variorum authorum opuscula confutat; & quidem inter cætera Anonymum adversus Anonymi opusculum, in quo 53. oppositionum contra Jesuitarum Theologiam moralem capita refellit, & quidam ad cap. 42. in quo Anonymus asserit Jesuitas docere, quod mulier se ornans ad satisfaciendum innato ad vanitatem propositio, nullo modo, aut venialiter solum peccet. Etsi non ignara malum effectum in animis, & Corporibus intuentium inde produci. Ubi Faber varias insinuat quaestiones, quæ circa ornatum mulierum moveri possunt, iis tamen neglectis, duntaxat format sequentem, eamque eruditè per longum examinat.

An femina, aut virgo certò sciens fore, ut quis accipiat peccandi occasionem, si prodeat accuratius ornata, aut se se videndam præbeat nullo alio consilio, quàm ut scita appareat, & placeat, peccet mortaliter. Hæc quaestio etsi videatur soluta partim num. 180. partim sequenti, non tamen inutile erit diversa Doctorum placita, ipsùmque etiam judicium nominati authoris audire consentis non esse difficiliorem controversiam in Theologia morali, quam de scandalo, eò quod valdè sit difficile conciliare rei domesticæ curam cum charitate erga proxi-

mi salutem, paucique reperiantur Theologi in hac materia sibi constantes, prout facile potest colligi ex hucusque disputatis de hac materia a num. 175. studeamus ergo singulos authores. Ad hanc quaestionem, quos revocat ad quatuor sententias, quas hic in compendium redactas produco.

Prima sententia, negat, quia charitas vetans præberi occasionem proximo peccandi vetat solum actiones malas, vel speciem mali præferentes, secùs bonas, vel indifferentes, Sanch. lib. 1. *Decal. cap. 6. num. 17.* cum pluribus aliis, quia aliàs innumeris scrupulis exponerentur feminae.

Temperat hanc sententiam Valent. 10. 3. *D. 3. quaest. 18. pag. 4.* quod procedat respectu aburentium occasione feminae ex malitia, ex propensione ad malum, consuetudine peccandi, secùs respectu ultrò non captantium occasionem, sed ex infirmitate, seu quasi inviti ab occasione capiantur.

Addunt aliqui eam teneri sub mortali omittente sacrum, ut infirmitati in voluntariæ hominis talis consulat, quod Sanchez admittit solum, si datâ operâ se susteret conscia lapsus futuri secùs utentem suâ libertate.

Secunda negat teneri abstinere ab actionibus præceptis in publico peragentibus e. g. ab aditu publico templi ad audiendam missam præceptam, at ab actionibus non præceptis e. g. à missâ die feriali obligant abstinere, Pal. num. 4. Valsq. in opusculo de Scandalo q. 43. art. 8. dub. 1. à num. 4. tradens primam partem, secundam verò dub. 2. num. 21. 22. & 27. &c. secundam partem aliqui limi-

limitant nam Hurtad. hanc obligationem extendit ad aliquod tempus, Valent. aliquoties, Soarez de Charit. D. 10. S. 3. putat raro.

Tertia opinio secundam loquentē de peccantibus ex malitia amplectitur duntaxat in casibus, in quibus subest causa rationabilis, & honesta sese ornandi, aut obeundi ea loca, quò scandalizandum venire novit, cit. Sanch. & cap. 7. n. 15. peccati mortalis damnans præbentem occasionem peccandi jam aliàs parato ad peccandum, nisi habeat causam justam id agendi. Hinc aliqui liberant à peccato foeminam se splendidiùs ornantem, ut viro placeat, esto prævideat aliquem lapsurum.

Quarta opinio foeminam damnat mortiferae culpæ, quando se offert citra necessitatem, aut utilitatem alicui, aut aliquibus, quorum scit pravos affectus, sed ut suæ præcisè satisfaciatur voluptati, minimè autem si agit id ex necessaria, aut causa utili, ut si vicinos adeat, ne nimis inurbana videatur.

183. Nunc audiamus censuram Honorati Fabri super præfatis sententiis tam diversè respondentibus ad questionem in praxi difficillimam. Ille ergo cit. c. 42. vers. Scio quartum circa finem. & vers. Sequenti ita statuit, & quidem verbis ejus formalibus Judicium referam. Ergo quartam opinionem minimè accuso, nedum damno: imò Casuistis, & Confessariis perspectum esse velim, ut & illam Christi comminationem Matth. 5. quæ is Regno Cælorum excluditur, qui doctrinam perfectioni Evangelicæ

contrariam docuerit: malum enim maxime timeri debet, ex promiscuis sexibus utriusque congressibus, in quibus tam lubrica, præceptisque via est, ut lapsus creberrimi succedant.

Tres priores opiniones (pergit Faber) damnare non ausim, nec suo muneri confessarium defuisse dicam, quæ sedulo observavit, quæ in prædictis opinionibus caventur, & ad eam normam foeminas instituat, & regat. An non Christianum institutum est non modo actiones malas mulieris damnare, sed eas prohibere, quæ vel minimam mali suspicionem habere possunt ad eam, à quo amatur, cujusmodi sunt missæ Epistolæ, furtivæ conditiones, clandestina congressuncula, munuscula, & alia benevolentie significationes? cuncta hæc prohibet prima opinio, jubet quæ confessariis, ut absolute foeminis recusent, ab eâ solutiore consuetudine non abstinere. An non recta disciplina, absolute negare mulieri, quæ cum sciat, peccare proximum ex infirmitate in mutua conversatione, ab eâ tamen non abstinere, licet ad eam nullo præcepto obligatur? Hoc ipsum præscribit secunda. An non sancta lex, negare absolute mulieri, quæ cognita prævâ hominis voluntate sine ulla necessitate ejus oculis, se spectandam præbet, id mandat Sanch. c. 6. n. 17. An non optimum

rimum consilium est negare absolutionem mulieri, que in conspectu virorum sinum aperit, & papillas nudat, praesertim cum sciat malos inde effectus sequi? Atque illud Emanuelis Sa, praeceptum est verb. ornatus. Tu vide sis Less. lib. 4. cap. 4. dub. 14. qui rem hanc doctè, & pie pertractat. Hucusque censura viri à litteris notissimi, qui praecepto Patris Sa aperte perstringit fœminas incedentes feminudo pectore, quasi hoc venale proflaret. Ex hac censura colligitur, quod sex mea Responsa data ad quaestionem quartam, concordent cum Fabri doctrina.

184. Unicum addo circa secundam opinionem, qua etiam in actionibus non praeceptis ad scandalum vitandum non obligat ad omissionem per longum tempus, sed ad aliquod, aut aliquoties, aut semel ac iterum, Less. num. 113. nunquam autem obligari fœminam ad omissionem praecepti positivi Ecclesiastici propter scandalum passivum etiam ex infirmitate, vel ignorantia, ita Vasq. cit. art. 8. dub. 1. Becam, nunquam enim necessaria necessitate salutis debent omitti, ut vitetur scandalum, sic autem sunt necessaria praecepta etiam positiva de missa, jejunio &c. Verum Vasq. pro argumento id assumit quod probandum erat, nempe observantiam praecepti positivi esse necessariam ad salutem in tali casu: hoc enim negatur, dum durat periculum scandali, passivi ex alterius infirmitate, vel ignorantia,

nam obligatio vitandi scandalum est de jure naturali, cui adversaretur praeceptum missæ, aut jejunium, si tunc deberet impleri, quod dici non potest, idque ostenditur primò exemplo praecepti Divini de integritate confessionis, quod obligat fœminam ad omissionem peccati, ex cuius confessione scit confessarium ex infirmitate, vel ignorantia scandalizandum, dum alteri non potest confiteri, sicut communiter docetur. Item uxor ex recepta doctrinæ deobligatur à jejunio praecepto, si exinde maritus ex infirmitate, vel ignorantia arriperet occasionem gravis dissidij, ita Laym. num. 10. quia in concursu duorum praeceptorum impossibilem fortius prævalet, est autem fortius naturale de vitanda spiritali ruina proximi, quam positivum de integrè confitendo, aut jejunando: subdit rarò accidere, ut cogatur die festo sacrum omittere, debet tamen si propter circumstantias brevi mutandas, intelligit infirmum adolescentem lapsurum, uti & ille ad breve tempus die festo debet se continere domi, qui intelligit ex aspectu sui inimicum grave scandalum passivum ex ignorantia, vel infirmitate. Hæc sententia mihi non displicet.

Verùm cum tam affirmans quàm negans opinio ad quaestionem, an praeceptorum impletio sit omittenda ad vitandum scandalum, sit communis, ac celebris in gratiam utriusque proponam argumenta, quibus nituntur meumque sensum adjiciam.

\* \*



## §. XXIV.

*An illi, qui ex observantiâ præcepti prævidet proximum graviter scandalizandum, imputetur scandalum?*

185. **P**Ræcepta sunt, vel naturalia, vel Divina, vel humana positiva, aut negativa. Certum est negativa naturalia omitti non posse, nec debere ad vitandum scandalum, sic nemo potest mentiri, furari, fornicari &c. ut impediatur peccatum proximi. Idem est de præceptis affirmativis Theologicis quorum observatio est necessaria necessitate medii ad salutem. Quæstio ergo est de positivis tam naturalibus, quam Divinis, ac humanis etiam negativis.

Prima sententia affirmat imputari, Covar. *Reg. peccatum* 1. p. à *num.* 4. & ex parte Soares *de scand.* D. 10. §. 4. *num.* 9 & 10. Valent. *tom.* 3. *Dis.* 3. *quæst.* 18. p. 4. §. 4. Laym. à me citatus *num.* 184. Vult hæc sententia cessare obligationem præcepti tam affirmativi, quam negativi juris positivi, imò aliquando etiam naturalis. Ratio prima, quod obligatio præcepti naturalis sit fortior obligatione præcepti positivi, sed obligatio vitandi scandalum proximi est præcepti naturalis, ergo est fortior obligatione præcepti positivi tam affirmativi, quam negativi humani, ergo hæc cessat pro tunc, seu suspenditur, cujusmodi præceptum positivum affirmativum est de missa audienda die festo, & negativum de jejuniis, prohibet enim duplicem refectioem, sic secundum multos uxor po-

rest, & debet non jejunare ad vitandum gravem offensam mariti, de affirmativo Divino præcipiente confessionem integram passim asserunt Doctores id non obligare, ad confessionem peccati, si inde confessarius scandalizetur per *num.* 184. Correctio fraterna etsi sit juris naturalis, est tamen omittenda, si ideo corrigendum magis exasperaretur. Similiter delictorum punitio est de jure naturali, & tamen est negligenda, quando ex illa major malum e. g. feditio, aut turbatio communitatis prævidetur.

Ratio secunda, vita spiritualis est pretiosior vitæ temporali, sed ob hanc in proximo servanda est omittenda nulli præcepta, uti & jejuniis, ergo etiam ob conservandam vitam spirituales proximi sunt omittenda.

Ratio tertia inter duo mala minus est eligendum *C. duo mala dist.* 13. sed in observantiâ præcepti positivi est minus malum quam præcepti naturalis vitandi scandalum.

186. Secunda sententia negat utrumquam licere omittere ulla præcepta propter vitandum præcisè scandalum, in Vasq. *in opusc. de scandal.* q. 43. art. 4. *dub.* 1. à *num.* 4. & apertè S. Th. 2. 2. q. 43. art. 7. in Corp. solum distinguens ea, quæ sunt de necessitate servandæ

lutis ab his, quæ non sunt de necessitate salutis, sed omnia præcepta etiam positiva sunt de necessitate salutis, & duntaxat consilia non sunt de necessitate salutis, Pal. tom. 1. tract. 6. D. 6. p. 16. num. 3. Pont. lib. 5. de Matr. c. 18 §. 2. num. 7. Probatum primò autoritate Innocentii III. in l. cum ex injuncto de novi operis nunciat. circa medium, opera, inquit, illa, quæ sine mortali peccato omitti non possunt, non sunt pro vitando scandalo dimittenda.

Respondent cit. Covar. & Soarez Pontificem loqui non de omnibus præceptis, sed iis, quæ in concursu præcepti de scandalo obligant. Contra est, responsum Pontificis est generale instrumentum de eo, de quo dubium esse posset, ac difficultas, sed nullus dubitavit an præceptum, quod in occurssu scandali obligat, sit servandum, cum ex terminis pateat esse implendum, ergo est intelligendum de omni præcepto concurrente cum præcepto scandali, quod propter hoc non sit omittendum.

Probatum secundò nullum opus, quod nec est malum, nec speciem mali præfert, si aliàs est præceptum, debet omitti propter scandalum proximi, tunc enim non est datum, sed acceptum, seu Pharisaorum, qui de Christi doctrina scandalizabantur, sed opera præcepta, ut missæ auditio, jejunium &c. sunt bona, non mala, nec speciem mali præferentia.

Respondet prima sententia negando majorem de opere præcepto juris positivi, quod negant obligare in occurssu naturalis de vitando scandalo, cujus obligatio est fortior per num. 185.

Contra est primò naturale magis obligare cæteris paribus, quàm positivum (non autem si tam naturale, quàm positivum tendant ad propriam meam salutem, vel ad cavendum proprium peccatum) secus cæteris imparibus, in nostro casu sunt cætera imparia nam naturale principaliter refertur ad vitandum alienum peccatum, positivum verò ad cavendum proprium. Hinc est, quod obligatio vitandi scandalum sit obligatio secundaria, cum sit prius, ac principalius consulere suæ salutis, quàm curare alienam, id enim poscit rectus ordo charitatis, quem ordinem invertit prima sententia obligans ad omissionem præcepti sibi impositi, ut alius possit suum implere. Ex hoc formatur probatio tertia in hunc modum.

Prius est implenda obligatio primaria, quàm secundaria, sed obligatio præcepti sibi impositi est primaria, obligatio autem præcepti impositi alteri est secundaria, talis est obligatio impediendi lapsum proximi, ergo ut hæc impleatur, non debet omitti impletio obligationis præcepti sibi impositi e g. sacrum audiendi.

187. Contra est secundò quod, ut acutè observat Vasq. num. 10. præceptum naturale de vitando scandalo passivo me non obliget absolute, sed sub certis circumstantiis, inter quas est etiam hæc, nisi sit aliquod præceptum positivum ne alios obstringens prætermittendum, non quod hoc sit fortius naturali, huicquè deroget, sed quia, dum occurrit præceptum positivum, cesset quædam circumstantia necessaria, ut præceptum naturale vitandi scandalum proximi obliget. Hac ratione est licitum in confessione exprimere

mere complicem, dum aliter nequit quis integrè confiteri, etsi complex infamabitur apud Confessarium, quia infamare proximum absolutè sumptum non est contra jus naturale, sed infamare absque rationabili causa, videtur autem esse rationabilis causa infamandi complicem apud confessarium, observatio præcepti etsi positivi Divini de integritate confessionis, uti cum D. Th. & aliis docui in *tr. de Pœnit. dictato anno 1706. num. 365.* Hanc doctrinam de cessatione obligationis præcepti naturalis in occursum præcepti positivi Vasq. *num. 11.* vult in multis aliis etiam esse attendendam, quia ille occursum tollit circumstantiam necessariam ad obligationem naturalis præcepti. Ex his.

188. Respondeo ad argumenta sententiæ affirmativè proposita *nu. 185.* Ad primum dupliciter: primò ceteris solum paribus obligatio juris naturalis prævalet obligationi juris positivi in casu nostro sunt cetera imparia per *num. 186. vers. Contra est primo.*

Respondeo secundò ad primùm id procedere, dum adest obligatio juris naturalis, at nego in occursum positivi præcepti adesse obligationem vitandi scandalum, ut proximè ostendi.

Exempla quibus utitur prima ratio, non concludunt: nam de confessione complicis plures apud Vasq. concedunt debere omitti, si ex infirmitate aut ignorantia Confessarius peccet, secus ex malitiâ, hæc enim non debet nocere: alii verò cum utroque Soto Sylvest. &c. simpliciter negant, his adhæret Vasq. universim sustinens nullum omninò positivum præceptum esse prætermittendum

titulo præcisè scandalum vitandi. Unde uxor non jejunans, ut obtemperet marito, excusatur non propter scandalum hujus, sed ut declinet jurgia sibi valde molesta. Correctionis fraternæ ac punitiois omisso justificatur non propter scandalum impediendum sed quia cessat finis præcepti, nempe fratris emendatio, & ideo pro tunc non est præceptum defectu circumstantiæ requisitæ.

Ad argumentum secundum Respondeo negando consequentiam, disparitas est, quod ad defensionem vitæ temporalis proximi per se, ac directè obliget misericordia, cujus obligatio est major obligatione jejunii, vel audiendæ missæ: obligatio autem vitandi scandalum in proximo est solum secundaria, ac indirecta, cum prius sit consulere propriæ, quam alienæ salutis. Instas si Petrus intentat homicidium Paulo teneris impedire si potes, omissione missæ. Respondeo omnino teneri impedire homicidium, non quatenus est scandalum Passivum, seu peccatum Petri intentantis, sed quatenus redundat in damnum tertii, cujus vitæ, honori & famæ primò, & per se teneor prospicere ex virtute misericordiæ, Vasq. *num. 14.*

189. Ad argumentum tertium concedo majorè sed nego inobservantiam præcepti de vitando scandalo esse pro tunc malam, defectu circumstantiæ necessariæ, ut præceptum obliget per *num. 187.* Ratio ex dictis est, quod obligatio removendi scandalum passivum oritur ex illa virtute, circa quam frater est peccaturus, atqui illa virtus me non per se, ac primariò obligat ad impediendum, nè is peccet e, g. contra virtutem Castitatis.

Non

Non est hic negligendum discrimen, quod Joannes Sanctus in *select. D. 32. num. 10.* ponit inter virtutes ad alterum, ut justitiam, & misericordiam, & inter virtutes, quæ sunt in ordine ad se ut respiciunt moderationem propriam passionum: quod priorum primaria obligatio sit benefacere proximo, aut impedire ejus malum, posteriorum verò sit obligatio primaria exequendi virtutem in se, ac malum impediendi in se, secundariò verò malum impediendi in proximo. Unde cum correctio fraterna spectet ad miseri-

cordiam, facienda est, etsi ad eam sit necessaria ommissio operis de consilio faciendi, secus ut vitetur scandalum pharisaicum ut videbimus §. sequente.

Concludo Paragraphum judicans utramque sententiam esse probabilem, probabiliorem tamen negativam, quia tamen hujus fundamenta etiam solubilia sunt, ideo est affirmativa etiam in praxi tuta, idcirco Honorat. Faber *num 183.* optimè dixit confessarios secundùm eas posse regere.

\* \*

§. XXV.

*§. XXV.  
An prævidenti ex suo opere bono consilii proximum scandalizandum, scandalum sit indirecte voluntarium? Ubi explicatur quid sit peccare ex malitia, aut ignorantia, aut infirmitate.*

190. **E**xemplum sit in fœmina prodeunte ad templum die non festo ut audiat sacrum sciens aliquos, aut certum concepturum pravos incontinentiæ affectus, aut vir in pari casu si sacro intererit, inimicus renovabit animi rancorem, seu odium. An in hujusmodi eventibus sit obligatio intermittendi opus consilii, nè proximus peccet?

Tripliciter potest homo peccare, ex ignorantia, vel infirmitate, vel malitia juxta receptam S. Th. doctrinam 1. 2. q. 76. art 1. ubi querit, an ignorantia possit esse causa peccati, respondetquè affirmativè, non per se, seu ex propriâ vir-

tute, sed per accidens, quatenus removel, seu aufert scientiam (quæ aliàs peccatum prohiberet) eatenus dicitur causa peccati, ignorantia verò non tollens scientiam, quæ aliàs peccatum prohiberet, non est causa peccati.

Hinc fuit opinio Socratis apud S. Th. q. 77. art. 2. quod nullum sit peccatum ubi perfecta scientia adest. Hanc opinionem refutat S. Th. opponens experientiam multorum agentium contra scientiam, & illud Christi Luca 12. *Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non facit vapulabit multis:* & Jacobi 4. dicitur: *scienti bonum facere,*

*care, & non facienti peccatum est illi.*

Sanctus verò Th. distinguit cum Philosopho in 7 *Ethic. cap. 2.* quod duplex scientia ad rectè agendum dirigat hominem: una universalis, altera particularis, alterutrius scientiæ defectus sufficit, quod impediatur rectitudo voluntatis, & operis hujus, e.g. potest quis scire in universali: *Nulla fornicatio est facienda.* Nihilominus carere scientia particulari, seu non cognoscere in particulari hunc actum qui est fornicatio, non esse faciendum, ex hujus defectu provenit, quod voluntas tunc non sequatur scientiam universalem, de recta operatione, nam ut ad 4. dicit quod habens scientiam universalem propter passionem impediatur voluntas indirectè (sic S. Th. *art. 1. ad Corp. ait.* passio appetitûs sensitivi non potest directè movere voluntatem, sed indirectè, idque dupliciter: primò distrahendo mentem à consideratione operis recti, vehemens enim passio vehementer applicat imaginativam, consequenter etiam intellectum ad suum objectum, unde necessariò sequitur minor attentio ad propositum bonum: secundò ex parte objecti voluntatis, quod est bonum, circa quod vehemens apprehensio imaginativa impedit iudicium ordinatum de recta operatione) impeditur inquam, nè sub illa universali possit assumere, & ad conclusionem pervenire, sed assumit sub alia universali, quam suggerit inclinatio passionis, ac sub ea concludit homo incontinens formans syllogismum, uti tradit Philosophus *cap. 3.* constantem quatuor propositionibus, binis universalibus, quarum una est rectæ rationis, al-

tera passionis: sub prima recta ratio assumit unam minorem, sub altera verò passio assumit alterum minorem, & passio incontinentis concludit non sub suggesta à recta ratione, sed sub secunda assumpta à passione e.g. *nulla fornicatio est committenda;* hæc universalis est rectæ rationis: *omne delectabile est prosequendum:* hæc altera universalis est passionis, minor assumpta primæ universalis est ista: *hic actus est fornicatio;* minor secundæ universalis est hæc: *fornicatio est delectabilis.* Conclusio ex prima universali, & hujus minore secundum rectam rationem est ista: *ergo hic actus qui est fornicatio non est committendus:* Hac igitur conclusione neglecta incontinens durante passione assumit minorem secundæ universalis, & sub hac concludit sic: *ergo fornicatio est prosequenda.*

191. Cæterum etsi sic accidere possit, non tamen esse necessarium, bene ostendit Vasq. 1. 2. *D. 128. cap. 5. num. 9.* sed solet potius incontinens sub duplici universali, nempe hac rectæ rationis: *omne delectabile sensus est fugiendum:* & altera passionis: *omne delectabile est prosequendum,* subsumere hanc minorem utrique universali deservientem: *fornicatio est delectabilis,* & concludere. *Ergo fornicatio est prosequenda,* hæc conclusio necessario sequitur ex utraquè universali sub eadem minori, est enim legitimus syllogismus.

Dieta conclusio formatur ab incontinente uti paulò superius retuli ex D. Th. *art. 2.* & fatetur cit. Vasquez ex inconsiderantia propositionis particularis.

Por-

Porro S. Th. cit. art. 2. in Corp. tradit quod ratio contra suam scientiam universalem tripliciter superari possit à passione. Primò per distractionem, dum passio appetitûs sensitivi trahit potenter cogitationem ad suum objectum, quo fit, ut voluntas nequeat ferri in bonum, mènesque distracta cogitatione, & appetitu sensûs non advertat malitiam peccati, ex quo inquit Vasq. D. 127. ad art. 2. D. Th. in notationibus à peccato excusatur, nempe quando adedò est vehemens passio, ut omnino auferat iudicium rationis, & ortum non habuit ex causa libera, si autem passio nata fuerit ex libera causa, non excusat à culpa, etiamsi tollat omnem usum rationis, sicut de ebrietate dicitur: si verò passio non tollat usum rationis, non omnino excusat à culpa, ità S. Th. art. 7. & Vasq. 127. in notat. ad hunc art.

Secunda potest passio impedire scientiam universalem rationis per contrarietatem, quatenus passio inclinât in contrarium illius, quod scientia universalis dicitur, uti dictum de passione incontinentis.

Tertio impediri potest per quamdam immutationem Corpoream, quæ quandoque adedò est vehemens, ut impediât omne iudicium rationis, non minus quam Ebrietas, sicut experientia docet: quo casu licet operationis substantia sit spontanea, malitia tamen moralis est voluntaria, S. Th. cit. art. 2. Vasq. in notat. ad art. 2.

192. Alter peccandi modus est ex passione, seu infirmitate S. Th. 1. 2. q. 77. art. 3. uti corpus dicitur infirmum, quando impeditur ab operis executione

ob aliquam partium inordinationem, ità dicitur anima infirma, dum impeditur in propria operatione propter inordinationem partium animæ, id autem fit, dum ista non subduntur ordini rationis, *ratio enim est regitiva illarum*, ita loquitur S. Th. in Corp. quæ vis debilitatur, dum passio appetitûs concupiscibilis, & irascibilis insurgit ultra ordinem rationis: rectè proinde peccatum ex passione D. Th. vocat peccatum ex infirmitate. Adrianus apud Vasq. D. 128. in explicatione cit. art. 3. definit peccatum ex infirmitate *quod sit actus, vel omissio culpabilis sine deliberatione propter passionis impedimentum facta*. Contra est quod nullum sit peccatum sine deliberatione, & quidem plenâ, ut sit mortale, aut saltem semiplena, seu imperfecta, ut sit veniale. Meliùs definit Vasq. *peccatum ex infirmitate, vel ex passione est, cujus determinata est causa instigans, ut passio, seu complexio, seu tentatio, ità ut sine tali causa non fieret*: definitio est conformis S. Th. qui vers. Sed contra est dicit: *peccatum ex infirmitate, est peccatum ex passione, quæ est animi infirmitas*.

193. Tertius modus peccandi est ex certa malitia. S. Th. q. 78. art. 1. uti quævis res naturâ suâ, ità homo appetit naturaliter bonum, unde si ejus appetitus declinat ad malum, oritur ex corruptione, seu inordinatione principiorum hominis, quare sicut in rerum actionibus datur vitium ex corruptione seu defectu alicujus principii, ità nullum peccatum in actibus humanis contingere potest, nisi sit defectus, seu inordinatio ex parte alicujus principii actuum: principia autem

tem humanorum actuum sunt intellectus, appetitus rationalis, seu voluntas, & appetitus sensitivus. Quando quis peccat ex defectu intellectus, dicitur peccatum ex ignorantia: peccatum ex defectu appetitus sensitivi, dicitur peccatum ex passione, seu ex infirmitate: peccatum ex defectu voluntatis contingit, dum voluntas inordinate plus amat bonum temporale, quam spirituale, vultque scienter aliquod malum spirituale: Unde dicitur ex certa malitia, seu industria peccare, quasi scienter malum eligens, ita S. Th. cit.

Verum clarius ex communi Vasquez ad hunc artic. in notationibus sic definit peccatum ex malitia, quod sit peccatum ex certa scientia commissum, id est, dum quis propria voluntate, nec a passione illectus scienter peccat.

Idem S. Th. art. 2. tradit, quod peccatum ex habitu dicatur peccatum ex certa malitia, siue deinde ille habitus fuerit in voluntate, siue in appetitu; ubi per habitum intelligit consuetudinem peccandi, hæc enim non est naturalis sicut passio, sed est habitus voluntarie comparatus, ex quo operans, cum non operetur ex insurgente passione, aut ignorantia, operans ex habitu recte dicitur operari ex certa malitia. Hæc doctrina plurimum facit ad sciendum, an & quando bona spiritualia, aut temporalia commoda sint dimittenda ob vitandum scandalum ex malitia secundum S. Th. Doctrinam 2. 2. q. 43. art. 7. & 8.

194. Dictis non obstat quod quædam peculiaria peccata præ cæteris dici soleant peccata ex malitia ut impænitentia,

obstinatio in malo, desperatio &c. quia ut observat cit. Vasq. hæc peccata si fiant instigante passione, non sunt dicenda peccata ex malitia.

Cum nullum peccatum possit esse sine aliqua advertentia, sequitur, quod peccata ex ignorantia, aut passione nequeant dari, quando ignorantia est invincibilis seu tollens omnem scientiam, aut si passio sit vehemens ut pravertat omnem rationis usum, sed quando ignorantia est vincibilis, aut passio impedit quidem advertentiam, relinquit tamen sufficientem ad peccatum.

Defacto omne peccatum etiam ex malitia tale præcedit aliqua inconsideratio, id est, defectus actualis considerationis, hoc enim experimur in nobis, quoties peccamus, nam dum quis attrahitur ab objecto delectabili, ita se habet intellectus: ut rationem delectabilis in peccato efficacius proponat, & poenitentiam consideret, rationes autem retrahentes a peccato, levius cogitet, & expendat, quia tamen etiam cogitatio efficacius proponens delectabilitatem non necessitat voluntatem, ideo ei consentiens peccat, Vasq. D. 128. num. 11. & 12. ubi contra aliquos statuit hunc defectum ex parte intellectus procedere etiam in peccantibus ex malitia, nam ad libertatem peccandi necessaria est aliqua opposita virtutis notitia, ergo fieri non potest peccatum etiam ex malitia, sine cogitatione saltem tenui proponente oppositam virtutem, sufficiente tamen ad libertatem, ex hac tenuitate propositionis virtutis homines depravati peccant ita absque ulla conscientia obmurmuratione, ac difficultate, ut peccata veluti aquam bibere videantur.

Ra-

Ratio efficax est, cur defacto peccatum non fiat ullum sine defectu considerationis, quod bene perpendens peccati fordes cum leuissima guttula voluptatis ex peccato sorbendæ, ex parte verò altera dedecus naturæ rationali inde ortum, injuriam in DEUM, remorsum, conscientiam semper lancinantem, ac pœnas inferni culpæ commensuratas &c. vix fieri possit ut peccet, quis enim in præalta turri constitutus acceptaret paleam in pretium, ut se inde præcipitaret, certò nullus unquam id faceret, esto simpliciter id fieri posse nemo dubitet, ergo similiter nemo sanæ mentis in certum exitium ortum ex peccato ruet pro modica voluptate tanquam pretio, etsi id fieri simpliciter non implicet.

Defacto igitur omnis peccans est inconsideratus, & quia inconsiderantia est aliqualis ignorantia, sequitur, dum alij cum Philosopho ignorantiam prærequirunt ad peccatum, loqui eos de ignorantia latè sumpta, nempe pro inconsideratione expellente scientiam perfectionem, ita Raynaud. *Discipli Moral. dist. 4. num. 376.* Soarez in *Metaphisicis* 10. 1. D. 19. S. 7. nu. 11.

195. Nihilominus judico cum citato Rayn. num. 373. contra Vasq. num. 7. *vers. Caterum non est.* Absque inconsideratione stare posse potentiam proximam peccandi, quia stante scientia, de quovis objecto creato manet voluntas libera ad amorem, vel omissionem ejus, vel ad odium, cum nihil possit necessitate voluntatem determinatè ad unum ex dictis tribus: non clara cognitio de objecti bonitate, aut malitia, vis enim siue bonitatis, siue malitiae clarè represen-

R. P. Karch, Diss.

tata nequit voluntatè necessariò attrahere ad amorem boni, nec ad odium mali, sed manet indifferens, ut ametur, vel non ametur, vel ut odio habeatur: consentit Tanner. 10. 2. D. 4. q. 9. dub. 2. n. 35.

Prima, & physica radix inconsiderationis se tenet ex parte intellectus debiliter proponentis voluntati bonum ad sui amorem alliciens, seu radix prima est defectus congruæ cognitionis antecedens omnem voluntatis operationem, & ideo hujusmodi debilis cogitatio non est moralis, & culpabilis defectus, sed physicus utpote omninò independens à voluntate. Ex defectu isto physico tenente se ex parte intellectus, sequitur ex parte voluntatis moralis radix dictæ inconsiderationis, nam positâ cognitione etsi tenui de honestate objecti voluntas posset, si vellet præcipere intellectui, ut is melius cogitet de objecto honesto, expendatque ea, quæ impediunt peccatum, dum hoc voluntas negligit, ipsa est in causâ: hujus autem neglectus à voluntate comissi causa est, vel aliqua passio instigans ad objecta opposita, aut disparata, aut nimia in temporalibus occupatio, ita Amic. 10. 3. D. 17. Sec. 7. num. 158.

196. Si potest voluntas peccare sine defectu considerationis, etsi iste defectò semper, aut regulariter contingat per num. 194 à fortiori ad peccatum non prærequiritur error in intellectu, cit. Soarez num. 10. Vasq. num. 2. contra aliquos præquirentes istud judicium: *hoc expedit facere secundum rationem*: aut *hoc est faciendum*, tale enim judicium est hæreticum, cum de fide sit non expedire, aut non esse faciendum, quod contrariatur rectæ rationi.

T

Re-

Respondebis negando hoc iudicium esse hæreticum, quia non est speculativum, sed est practicum: speculativi veritas, & falsitas desumitur ex ordine ad ipsum objectum, cui si est conforme, est speculativè verum, si verò difforme, est falsum, è contra iudicii practici veritas, & falsitas non desumitur per respectum ad objectum, seu rem quam enunciat, seu representat, sed per ordinem ad appetitum rectum, seu voluntatis affectum rationi conformem. Ad intelligentiam hujus responsionis adverte ad versum sequentem.

Certum est in nobis dari lumen naturale practicum quo citra omnem alienam institutionem agnoscimus, quid universè bonum, vel malum sit, atque adeo, quid appetendum, vel averfandum. Actus sic universè enuntiantes, quòd bonum sit amandum, malum fugiendum, vocantur prima principia moralia spectantia ad Synderesim, quæ est habitus intellectus faciens assentiri primis principiis, seu regulis moralibus. Ut ergo iudicium practicum sit verum, debet esse conforme principiis seu regulis moralibus Synderesis, quod fit subsumentes aliquid quod continetur sub principiis universalibus moralibus, hac veritate vera sunt, omnia principia prudentia particularia, & practica; sunt enim conformia regulis, seu iudiciis universalibus Synderesis. E contra iudicium eisdem difforme est moraliter, ac practicè falsum etsi speculativè esset verum, e. g. hoc iudicium, *fornicatio est sensui conveniens*, seu delectabilis, est speculativè verum, utpote conforme objecto enunciatò, moraliter autem, & practi-

cè est falsum, utpote dissonum regulis Synderesis quæ dicitur omnem sexuum commixtionem extra legitimum matrimonium esse illicitam.

Contra hoc bene arguit cit. Vasq. nam etiam hoc practicum iudicium, est contra fidem: est enim error contra fidem affirmare expedire id, aut esse faciendum, quod re ipsa non expedit, aut faciendum non est.

Hæc de triplici modo peccandi præter meam mentem fusè dicta, etsi hoc loco non necessaria, quia tamen plurimum conducunt ad intelligendam peccatorum gravitatem (cùm peccata ex malitiâ propter majorem libertatem sint graviora peccatis ex infirmitate, aut passione, uti etiam peccata ex infirmitate præponderant peccatis ex ignorantia, difficilius enim vincitur ignorantia, quàm impulsus passionis S. Th. q. 76. 77. & 78. art. 4.) ea hæc produxi, ad quæ acturus de peccatis me referam. Nunc aggredior primam partem §. hujus.

197. In qua quæritur, utrum opus bonum Consilii sit obligatio intermitendi ob proximi scandalum vitandum. Dixi *opus bonum*, nam facienti opus malum, aut habens speciem mali, dans occasionem proximo peccandi imputari hujus peccatum non solum ex ignorantia, aut infirmitate, sed etiam ex malitia commissum, est certum. Vasquez in *opusculo de scand.* q. 43. artic. 8. *Dubio 2. num.* 21. ex S. Th. in hac *quest.* art. 7. & 8.

Respondeo affirmativè ad tempus, ut evitetur scandalum seu peccatum proximi ex infirmitate, aut ignorantia, secus, si scandalum sit ex malitiâ, aut ignorantia

tia affectatâ , ita S. Th. *art. 7.* Vasquez *num. 22.* Ratio, quod Charitas postulet esse aliquid condonandum ignorantia ac infirmitati proximi, atque adeo, ut hujus peccatum tunc impediatur, opus spirituale non necessarium esse ommittendum, aut differendum, donec scandalum cesset per proximi admonitionem : quod si edoctus, & admonitus non cesset scandalizari, jam videtur ex malitiâ peccare, charitas autem non petit, ut neglecto nostro bono spirituali, imò nec temporali malitiâ alterius consulamus.

Vasq. ex Cajet. notat verum esse quod rarò post admonitionem possit esse scandalum ex ignorantia, siquidem hanc tollit edoctio veritatis, è contra, cum etiam post admonitionem possit urgere, ideo tunc opus non præceptum est suspendendum.

*Idem num. 28.* notat nunquam esse abstinendum ab opere bono propter scandalum passivum in uniuersum, id est, quod aliqui, aut aliquis indeterminatè in publicis conventibus sit scandalizandus, quia scandalum ex habitu, seu malitiâ non est vitandum etsi probabiliter sit secuturum, scandalum autem ex infirmitate, aut passione timeri non potest, nisi sciat qualitas, & conditio personæ, de qua timetur.

Ex his liquet sceminam de quâ *num. 190.* debere omittere sacrum, si scit determinatum ex passione, aut ignorantia, scandalizandum, secus si nullum scit determinatum proximò dictum minus ex malitiâ.

\* \*  
\* \*



§. XXVI.

An cum iactura temporalium sit impediendum proximi scandalum?

198. **D**E hac quæstione disputat D. Th. *2. 2. quæst. 43, art. 8.* Pal. *tom. 1. tract. 6. D. 6. p. 17.* Sanch. *lib. 1. in Decal. cap. 7. num. 11.* ubi licet in terminis hanc quæstionem non proponat, ponit tamen fundamentum generale ordine quartum, quod præsentî quæstioni applico, Bonorum temporalium conseruatio non est per se mala, sed indifferens, solumque potest evadere mala per

accidens ex circumstantia scandali generalis dando occasionem ruinæ spiritualis proximi, quod fit, quoties conseruans bona tenetur ruinam impedire spiritua-lem, éstque ad hanc impediendam necessaria iactura temporalium. Quando autem ad id tenetur, pendet ex casu cogente aut non cogente si occasio ruinæ nequit vitari sine graui temporalium iacturâ, non tenetur hanc subire, sed potest, imò

T 2

imò aliquando debet conservare bona temporalia, quia tunc impeditio reputatur moraliter impossibilis; tenetur autem, quando potest sine gravi detrimento.

Aliam regulam ad hanc materiam possumus desumere ex Soarez *de Charitate* D. 9. Sec. 1. num. 5. ubi ad quaestionem, an homo suis corporalibus debeat praefere bona spiritualia proximi num. 5. respondet, quòd in gravi spiritali necessitate proximi homo teneatur sub obligatione gravi aliquod grave damnum temporale proprium subire aliàs non (ut autem talis obligatio deprehendatur, unversim definiri nequit, sed in particulari prudenter judicandum servatâ rerum proportionem per comparisonem necessitatis spiritalis, cum gravitate damni temporalis) Ratio est quod gravis spiritalis proximi necessitas sit majoris momenti, quàm aliquod grave damnum temporale proprium. Dixit *aliquod grave damnum temporale*, ut indicet non esse obligationem subeundi quaecunque periculum grave, nam num. 4. negat per se quam obligari subire morale periculum mortis, ut subveniat gravi spiritali necessitati proximi, estque expressa doctrina S. Th. q. 26. art. 5 ad 3.

Bona temporalia aut sunt nostra propria, aut sunt aliena, conservatio tamen illorum pro aliis nobis commissa, uti commissa est omnibus administratoribus, talis est Pontifex quoad bona omnia Ecclesiastica totius Christianitatis, Episcopus respectu bonorum suæ Ecclesiæ, Prælati bonorum Religionis suæ.

199. Dico primò ad vitandum scandalum passivum ex malitia nullus tenetur pati ullam jacturam bonorum fortunæ,

ita S. Th. cit. art. 8. in Corp. ab omnibus receptus. Ratio petenda est ex num. 197. Unde eo casu non datur occasio, sed permittitur.

Dico secundò bonorum alienorum, quorum quis est administrator, seu dispensator, jactura nulla est subeunda, ut impediatur scandalum passivum ex ignorantia, aut infirmitate, quia conservatio eorum, & repetitio, si sint indebitè abstracta, est administratoribus præcepta, consequenter sunt illis de necessitate salutis, hoc autem ipso non sunt dimittenda ob vitandum scandalum, ita apertè cit. D. Th. conclusio hæc est generaliter stabilita num. 186. Ex eodem capite, eadem bona sunt repetenda etiam cum scandalo proximi, sic teste D. Th. S. Thomas Cantuariensis repetiit res Ecclesiarum cum scandalo Regis.

Sed cum administratores titulo officii debeant potius pati jacturam in bonorum parte propter conservationem majoris partis bonorum (sicut tenemur pati abscissionem unius membri propter conservationem totius corporis, etsi non simus Domini, sed custodes, & administratores membrorum) aut nè subditi innocentes graviora damna patiantur, fit, ut ex hoc principio excusetur Pontifex permittens Principi seculari usurpationem bonorum Ecclesiasticorum, ne graviora damna innocentes incurrant. E.g. discrimen salutis. ita Pont. *de Matr. lib. 5. c. 18. §. 3. num. 15.* Pal. cit. p. 17. Idque verum est sive dicat quis cum Navar. Bona Ecclesiastica immediatè esse sub dominio Christi Domini, sive cum aliis sentiat esse immediatè sub dominio Ecclesiæ, vel universalis, vel particularis, juxta intentionem

nem ejusmodi bona Ecclesiis donantium (utrumque enim est probabile, posterius tamen est probabilius, Soarez in *defens. Fidei contra Regem Anglia. lib. 4. cap. 18. num. 8. & 9.*) quia secundum utramque sententiam Pontifex est universalis Administrator.

200. An ex eodem capite possint Principes-Catholici intuentes pacem cum hæreticis deducere in pactum permissionem possessionis bonorum Ecclesiasticorum nè scilicet majora mala eveniant, si sic non pacifcantur (ad quæ impedienda priori sæculo in pace Monasteriensis Imperator plurima bona similia permittit) dependet solutio ab eâ quæstione, an fundatores Episcopatum, Monasteriorum, & Ecclesiarum potuerint, ac defacto transtulerint suorum temporalium, ex quibus fundarunt, absolutè dominium in Ecclesias ita, ut Princeps supremus sæcularis nullam habeat jurisdictionem in ejusmodi bona, etiam pro casu, pro quo nisi circa ea possit disponere, eaque cedere hostibus, Religio Catholica illic periclitaretur, conservabitur verò factâ cessione, vel potius permissione.

Non potuisse aliter cessisse suum dominium, nisi sub conditione non periclitandæ fidei Catholicæ, suadet quod cessio domini fieri non potuerit in præjudicium fidei, fuisset autem facta, cum ejus præjudicio, nisi supremus princeps valeat disponere dicto modo in circumstantia tam periculosa, qualis fuit tempore Ferdin. III. in pace Monasteriensis. Verùm hoc non est meum hic decidere, sed de hoc argumento Politico, & Canonico-Theologico legatur Caramuel. id

pertractans toto libro de hac Pace Imperiali composito.


Dico tertio Domini bonorum temporalium, si ea pœnes se habent, debent dimittere, vel non repetere, si pœnes alios habent, propter scandalum pusillorum, seu ex ignorantia aut infirmitate (id est reddendo sufficientem rationem, hæc reddita, scandalum erit ex malitiâ per *nu. 197.* ita expressè S. Th. in *Corp. Cateram* apertè Navar. in *Manuali. c. 24. num. 12.* Bonac. *tom. 2. de primo precepto Decalogi D. 3. quest. 4. p. 4. num. 4.* Pal. *cit. p. 17 D. 1. p. 9. nu. 9.* & alii plures negant aliquem teneri cum gravi, seu notabili jactura facultatem succurrere spirituali necessitati proximi, nisi hæc sit extrema. Rationem dant, quòd cum sint frequentes necessitates graves proximorum, nimis dura foret lex Charitatis, si obligaret ad peccatum proximi impediendum ex ignorantia, aut passione committendum. Deinde si voluerit, poterit se ab eo per pœnitentiam liberare.

Dices opus consilii e. g. missæ auditio est omittenda propter correctionem fraternam, etsi frater peccabit ex malitiâ, ergo etiam est omittenda propter impediendum scandalum futurum ex malitiâ. Respondeo esse disparitatem, quod correctio fraterna sit actus eximie virtutis misericordie spiritualis obligantis corrigere, ac impedire quodvis malum spirituale fratris, scandalum verò passivum ex malitiâ sumit occasionem ex opere bono, nec habente mali speciem, tali scandalo, non succurritur ex obligatione misericordie, sed ejus virtutis, contra quam peccaturus est proximus; succurrit autem virtus illa aufe-

auferendo, aut omittendo opus, ex quo proximus sumit occasionem peccandi: plurimum autem interest, an ille sumat occasionem ex ignorantia, aut passione, aut fragilitate, aut ex malitia: hoc postremo modo peccaturo succurrendum est.

se virtus ab eo violanda non obligat, aut negligatur opus bonum, nec speciem mali præferens, malitia enim proximi nobis nocere non debet.

\* \*



## §. XXVII.

*An illi, qui firmiter determinato ad inferendum malum majus, suadet minus, istud sit imputabili?*

201. **D**ixi firmiter determinato quia secundum omnes nefas est consulere minus malum ad impediendum majus quando alia via majus impediri potest, hoc enim foret scandalum directum. Minus malum aliquando est formaliter inclusum in majori, aliquando virtualiter, aliquando nec formaliter, nec virtualiter, sic fornicatio est formaliter inclusa in adulterio, percussio, aut amputatio brachii in homicidio, è contra adulterium, quod est minus malum homicidio, neutro modo includitur in homicidio.

Determinatus ad malum majus potest se habere multipliciter, primo ut sit determinatus ad inferendum majus personæ indeterminatæ. Secundò ut sit determinatus ad majus, & minus malum inferendum eidem e. g. latro ad occidendum Petrum ut possit eum spoliare, aut personis diversis e. g. ad uni furandum, & ad alterum occidendum. Tertiò ut ad minus malum non sit paratus, aut nec de eo cogitarit.

Triplex est sententia apud Tamb. lib. 5. in Decal. cap. 1. §. 4. à nu. 61. Pal. tom. 1. tract. 6. D. 6. p. 6. Laym. lib. 2. tract. 13. cap. 13. num. 7. Prima absolutè negat cum Cajet. Sylvest. Valent. &c. quia Consilium de peccato committendo est peccatum non minus, quàm sit peccatum ejusdem electivum, sed consilium de minori peccato ad vitandum majus est consilium de peccato, non enim omittit malitiam, etsi assumatur ut medium ad declinandum majus, confirmatur, admissa semel sententiâ oppositâ sequeretur, quod volenti occidere Sacerdotem, foret licitum suadere occisionem petri laici, aut ut amputet brachium Paulo sine onere restitutionis aut parato adulterari cum Berta, consulere ut fornicetur cum Titia: hæc autem sunt absurda, Sanch. citandus et si sequatur quoad alia affirmativam.

Secunda sententia affirmat Sanch. lib. 7. de Matr. D. 11. à num. 15. Mol. tom. 2. de just. D. 335. num. 3. &

tom.

tom. 3. tract. 2. D. 730. num. 3. Vasq. in opusc. quæst. 40. de scand. dubio 1. & 2. Pont. lib. 5. de Matr. cap. 18. §. 5. transcribens ferè omnia ex Vasq. teste Pal. & quidem concedit, quòd volenti furari e. g. Petro centum, licitè suadeatur, ut ab alio furetur minus, hoc tamen non docuit Vasq. sed locutus est de casu, quo consultitur minus malum inferendum eidem personæ, ad avertendum ab eadem majus.

Pal. num. 8. & 9. sentit cum affirmativa respectu parati efficere majus, & minus, secùs respectu parati exequi majus: sic nequit fas esse suadere fornicationem parato committere adulterium, aut sodomiam.

Laymanus vers. Verum posteriori. aliter distinguit sequens affirmativum, quando minus est pars formaliter, vel virtualiter inclusa in majori peccato, negativam verò, dum nec formaliter nec virtualiter minus includitur in majore.

202. Conveniunt omnes primò. Quod suadens minus non possit sibi complacere in eo. Secundò, licitum esse non proponere motiva, & rationes non strantes gravitatem majoris mali, superare gravitatem minoris. Tertiò, non licere consulere complici minoris mali e. g. fornicationis, ut det assensum illi, cui fornicatio est persuasa, ad eum avertendum ab homicidio. Quartò, in quæstione §. passim etiam concordant, quod licitum sit offerre materiam minoris mali ad vitandum majus: nempe parato ad homicidium offerre occasionem exercendi usuras, parato adulterari, præbere occasionem fornicandi, quia hoc non est con-

fulere, seu inducere ad usuras, aut fornicationem &c. sed retrahere à majori, & non impedire minus, ad quod impedendum non cogit charitas in casu necessitatis, vitandi majus, Sanch. num. 19. Hoc pacto factum Loth. Gen. 19. excusant à culpa Cajet. Valent. quòd nefariis Sodomitis solùm obtulerit materiam minoris mali, videlicet fornicationis, ad vitandam Sodomiam graviorem e. g. poterat dicere juxta Hurta. apud Dian. p. 5. tract. 7. Resolut. 18. filia mea sunt pulchra: vel minus malum est iis abuti, quam masculis, secùs eos prostituendo nefariis ex fine vitandi Sodomiam, quia prostitutio hæc fuisset contra justitiam, & pietatem erga filias Mol. cit. D. 335. in fin. Nunc ad quæstionem præsentis §.

203. Quæres igitur primò, an liceat actualiter determinato ad majus peccatum consulere minus: Primò si minus sit formaliter, aut virtualiter inclusum in majori. Secundò si nec virtualiter minus sit pars majoris. Tertiò, si determinatus ad majus fuerit etiam determinatus ad minus, si non, in casu utroque præcedente, aut si de eo cogitaverit, si non. Quartò, si majus, & minus sit inferendum eidem personæ, aut diversis.

Respondeo ad primum affirmativè id licere consulere alteri, quod, ut est materia consilii, habet æstimabilem bonitatè, sed dum consultitur minus peccatum formaliter, aut virtualiter inclusum in majori, minus peccatum, ut est materia consilii, habet æstimabilem bonitatem, non enim minus peccatum, ut peccatum est materia consilii, sed ut medium retrahens à majori peccato, id est, ab illo excessu, quo majus superat minus, sed minus peccatum

eatum ut medium retrahens ab excessu contento in majori habet æstimabilem bonitatem, nempe carentiam excessus mali, sed carentia excessus mali quâ talis habet æstimabilem bonitatem.

Ratio hæc solvit fundamentum negativæ, negatur enim, quod consilium minoris peccati non minus sit peccatum respectu consulentis, quàm sit electio respectu exequentis, sic enim potest vitare tum minus, quàm majus, consulens autem non potest consulendo impedire etiam minus.

Quare determinatus ad adulterium potest induci, ut fornicetur: determinatus ad homicidium potest induci, ut potius eundem fuste percutiat, aut membrum amputet.

204. Respondeo ad secundum licitum est consilium minoris peccati ad vitandum majus, etsi in hoc nec formaliter, nec virtualiter sit inclusum, ita probabilior opinio Sanchez. num. 15. Baldell. lib. 3. Theolog Moral. D. 30. nu. 28. Vasq. Pont. citati contra multos apud Sanch. num. 14. inter quos est ipse Laym. probatur primò auth. S. August. lib. 2. de adulterinis conjugis cap. 14. relato in C. si quod verius 33. quest. 2. ubi volenti occidere uxorem suadet, ut ducat concubinam, sic potius adulteretur, quam ut occidat uxorem: verba Augustini sunt: *Utrumque nefarium est, neque debet unum pro altero perpetrare, sed utrumque vitare, sed si ille facturus sit malum, faciat quod minus est, nempe adulteretur cum Concubina, ne occidat uxorem.* Notetur ly *faciat*, quò verbo contra Gloss. non significatur permissio, quasi Augu-

stinus dixisset, si alterutrum est committendum, potius se permissurum adulterium, sed importatur consilium minoris mali, uti ostendit Sanch. atqui adulterium, nec virtualiter includitur in uxoricidio, sed est malum toto genere diversum ergo.

Probatur secundò, ratione eadem, quâ probatum est primum: minus enim malum etsi nec virtualiter inclusum in priori, non est materia Consilii ut peccatum est, sed prout est medium vitatorum majoris mali, sub quâ consideratione habet specialem bonitatem, ut ostendi ad primum.

Confirmatur. Quoduis minus malum æqualiter includitur in majori, siquidem majus præter gradum malitiæ adæquantis malitiam minoris mali, continet excessum malitiæ, ergo sicut determinatus ad majus, formaliter, aut virtualiter includens minus, censetur formaliter, aut virtualiter esse etiam determinatus ad minus, & ideo potest ei consuli minus, ita determinatus ad majus potest induci ad minus æquivalenter inclusum in majori, non ut peccatum est, sed ut impedimentum mali gravioris.

Dices determinatus ad majus malum, non est determinatus ad malum formaliter, nec virtualiter inclusum in majori, ergo suadendo alteri malum minus non inclusum, suadetur ei novum peccatum, ad quod nec formaliter, nec virtualiter est determinatus, hoc autem est inducere in novum peccatum. Respondeo esse novum formaliter, & virtualiter, secùs æquivalenter, & ideo non inducit in novum æquivalenter, sed in novum formaliter, & virtualiter, non ut est

est peccatum, sed ut est medium vitatum majoris mali, sub quâ ratione dicit carentiam excessûs malitiæ.

205. Respondeo ad tertium *num.* 203. propositum affirmativè cum Sanch. *num.* 20. Contr. Navar. Pal. quia licet non fuerit determinatus ad minus, nec de eo cogitaverit formaliter, inducendo illum ad minus, non inducit ad id, ut peccatum est, sed ut retrahens, seu impediens majus. Deinde si est determinatus ad majus, & de hoc cogitavit, est hoc ipso determinatus ad id, quod æquivalens minori, est cogitavit de æquivalenti.

Ex hac doctrina colligitur veritas doctrinæ quorundam Recentiorum, quod DEUS possit licitè eligere directè permissionem peccati, ut medium ad salutem prædestinati, quia potest prævidere DEUS, nisi e. g. Cajum ponat in circumstantiis, sub quibus prævidit eundem lapsurum in minora, sit paraturus graviora: hoc casu ex affectu ergo salutem Caij potest DEUS eligere permissionem minoris peccati, prout medium utile ad vitandum gravius, propter quod damnaretur.

Colligitur secundo ex eodem fine posse DEUM permittere Cajum harere in certo scelere v. g. furtis, donec deprehensus puniatur ac penitus emendetur.

Colligitur tertio, cum Sanch. *num.* 23. dictis esse locum non modo in privatis personis, sed etiam in Confessariis, Parentibus, & Magistratibus minus malum consulentibus ad avertendum majus viâ meliore non impedibili, etsi enim hi titulo speciali ut Magistratus ex justitiâ, Parentes ex pietate, Confessarii ut Medici & Doctores debeant præcavere, si

R. P. Karch. Diff.

tamen spes alia non sit avertendi, quàm consilio minoris mali, possunt hoc dare, quemadmodum ratio nostra probat.

206. Circa quartum *num.* 203. propositum est gravior difficultas. Ratio, universim affirmandi est, quod ratio honestans consilium minoris mali, quando utrumque, seu tam majus quàm minus inferendum uni personæ, etiam urgeat, dum est majus, & minus inferendum diversis, quia etiam consilium datum Titio, ut potius vulneret Cajum, quàm ut occidat Paulum, potius furetur Joanni 50. quam Ernesto centum &c. pro materiâ non habet vulnerationem Caij, furtum 50. inferendum Joanni, ut peccatum est, sed ut est vitativum majoris mali, seu peccati, videlicet occisionis Pauli, & furti centum, sub quâ ratione per dicta *num.* 204. & seq. consilium minoris mali liberavi ab omni culpâ, dum ambo mala sunt inferenda eidem personæ etiam in casu, quo de minori non cogitavit is, cui consulitur.

Ob hoc argumentum affirmativam Pal. *num.* 2. attribuit cit. Vasq. *dub.* 2. *num.* 14. §. *mibi tamen videtur* Fateretur etiam Tamb. *num.* 13. quod omnino ratio Vasquezii procedat etiam respectu diversarum personarum, monet tamen, quod Vasq. loco citato *num.* 13. admittat vulnerationem posse licitè suaderi loco occisionis eidem personæ inferendæ, negat autem illum loqui de alia persona, Pontius verò apertè concedit de furto minori loquens per *nu.* 201. *vers.* *Secunda sententia.*

Tamb. *nu.* 11. concedit cum Vasq. *art.* 1. *num.* 14. posse licitè consuli volenti furati à paupere, ut furetur à divite, volen-

¶

volenti furari à Petro centum, ut furetur à Paulo 50. volenti furari absolute, ut potius furetur à divite, quam à paupere, & similia, quia inquit hoc consilium eò tendit formaliter, nè committatur majus peccatum, nec damnum passus potest esse invitus rationabiliter.

Sanch. *num.* 24. reprobatur, quia sic consulens directe est causa damni tertio illati, nefas enim est uni prodesse cum damno alterius, personaque tertia habet jus, nè consulatur damnum minus illi inferendum ad majus alienum vitandum.

Respondet Tamb. ad hoc argumentum fundatum in eo, quasi Vasq. &c. neget inferri à Consulente damnum tertio, inferri id concedat Tamb. at negat illum tertium debere esse invitum contra hunc consulentem, utpote suo consilio majus malum avertentem, esto sit rationabiliter invitum contra determinatum ad majus malum. Idem tamen Tamb. *num.* 13. non resolvere audeat affirmative ad questionem, an volenti occidere Patrem fas sit suadere, ut occidat potius servum, aut volenti occidere Petrum, ut amputet brachium Paulo.

207. Resp. ad quartum primo affirmative etiam respectu diversarum personarum, quando is, cui consulitur minus, fuit determinatus ad utrumque malum illis diversis personis inferendum, aut uni personae majus nihil cogitans de minori eidem inferendo, proinde determinatus ad adulterium cum Berta, & ad fornicationem cum Caja, licite inducitur ad fornicandum cum Cajâ, determinatus ad occidendum Petrum, licite persuadetur ad eum potius multandum. Ratio data

ad priora tria puncta à *num.* 203. habet hic eandem vim.

Respondeo secundo ad quartum: quando tertius illud minus damnum non tenetur subire ad avertendum majus alterius damnum, tunc etiam à nullo potest licite consuli, secus in casu, quo alter ex charitate debet illud minus subire, aut illud minus sit modicum, alterum autem magnum praesertim imminens pauperi, aut si occidendus foret Rex, vel alia persona publico bono valde utilis, tunc enim cum personâ e.g. plebejâ parata debeat esse ad mortem pro salvandâ vitâ Regis &c. licite consuleretur occisio personae plebejæ, aut communi bono non multum proficua, in his enim casibus damnum patiens non potest esse justè invitus.

E contra cum Titia non teneatur, nec possitmittere fornicationem, ut impediatur adulterium cum Caja, nec Paulus pati amputationem brachii ad avertendam occisionem Petri, sequitur non posse citra gravem culpam, ac sine onere restitutionis consuli determinato ad adulterium cum Berta, aut ad occisionem Petri, ut fornicetur cum Titia, aut ut amputet Paulo brachium, habet enim hic jus, ut nullus consulat amputationem sui brachii, & illa, nè suum corpus violetur. Doctrina hujus responsi est Sanch. *num.* 24. ex qua patet solutio confirmationis, quâ utitur *num.* 201. prima sententia contra nos.

208. Infero primo, cum citato Sanch. quod volenti graviter nocere personae incertae, aut etiam certae, valeam licite suadere minus malum inferendum personae incertae, id est, alicui nullum nominando e.g. ut potius furetur à dev-

te,

te, quàm à paupere aliquo, vel etiam, ut non furetur ab isto paupere, sed potius ab aliquo divite, vel etiam isto nominato, si præcisè consulens exponat rationes ostendentes esse minus peccatum huic furari, quàm pauperi, *per num. 202*. Ratio horum est, quod hoc consilium nulli noceat determinato.

Infero secundò cum Sanch. *num. 25*. non licere dicere volenti tibi rapere, ut rapiat alteri certæ personæ, sic enim consuleres damnum personæ determinatæ, secus dicendo, sicut plures alij, quibus possit rapere, tunc enim nullius damnum consulitur, sed proprium avertitur.

Infero tertio, quando quis est determinatus inferre damnum uni ex duobus, at dubius, cui ex illis, consulens inferre huic determinato minus ad impediendum majus alterius, peccat contra justitiam, hujus cum onere restitutionis, quia suo consilio nocet huic, cui fortè dubius non nocuisset, Sanch. *num. 24*.

209. Quæres secundò, an Consulens minus malum, dum ad hoc non fuit determinatus volens inferre majus, teneatur restituere? quæstio procedit primò de consulente minus inferendum eidem personæ. Secundò de consulente minus inferendum personæ certæ, diversæ ab illâ, cui est inferendum majus. Tertio si consulatur minus inferendum alteri personæ indeterminatæ e. g. si volenti nocere pauperi si a te is, ut potius noceat alicui diviti, nullum nominando.

Circa primum, & secundum quæsitum videtur certa negativa, quando alter erat determinatus patrare utrumque,

quia tunc consilium minoris mali est licitum, consentit etiam Pal. *num. 8*. aliàs contrarius ut mox apparebit.

Si de minori malo non cogitaverit inferendo sive eidem, sive diversæ personæ, consulentem minus obstringi restituere sequitur ex sententia Pal. *num. 9*. docentis consilium hoc esse illicitum, atque adeo injustum, cum ejus materia sit damnum alterius. In casu tertio Sanch. negare debet onus restituendi, cum *per num. 208*. taliter consulentem liberet à culpâ.

E contra Pal. *num. 12*. docet sic consulentem peccare, consequens est teneri restituere; peccare probat, quia consilium tendit ad commutandam pravam voluntatem furis in aliud damnum, etsi minus inferendum diviti locò damni pauperis; quod consulens non determinet personam divitis, sed suadeat, ut alicui indeterminatè diviti furetur, non excusatur à peccato, sicut non excusaretur secundum omnes præter Vasquez determinando personam, quia esset causa determinata illius damni, idque constat etiam ex opinione vestra per illationem; *num. 208*. atqui consulens damnum etsi non determinet personam in casu tertio, est tamen causa damni vagè sumpti, quod sufficit ad injustitiam contrahendam cum onere restitutionis, nemo enim deobligaret à restitutione, si quem induceres ad furandum personam innominatam, quæ damnum pateretur.

Respondeo primò non teneri restituere, quando minus etiam erat inferendum sive eidem, sive diversis personis.

Secundò nec teneri in casu, quo suadet minus inferendum eidem, cui erat inferendum majus, etsi nihil cogitatum sit de minori, quia non obest, sed prodest passuro minus damnum. Tertio, suadens minus damnum inferendum determinatæ personæ ad impediendum malum gravius alterius personæ, ad quod vitandum tenetur illa persona determinata subire minus damnum, deobligatur à restitutione, minimè autem si hæc persona non tenetur illud minus pati. Utraque hæc pars est conformis responso secundo ad quartum *11177. 207.*

*210.* Respondeo quartò, cum per *11177. 208.* determinato ad majus suadens minus malum inferendum alicui innominato non peccet, sequitur probabiliter esse non teneri ad ullam restitutionem, nulli enim determinatè nocet, quòd consilium ejusmodi habeat pro objectio damnum vagum; nullus potest esse rationabiliter invitatus sciens, quòd consulens istud damnum non intendat, ut peccatum est, sed ut est impeditivum majoris offensæ Dei.

Non est paritas à consulente, qui dubio, cui ex duobus sit nocendum,

consulit, ut huic determinato noceatur minus, quia hic est rationabiliter invitatus, cum fortè is, cui consulitur non nocuisset, tendit igitur cui consilium in damnum determinatæ personæ, ibi verò in damnum indeterminatæ.

Ad hoc postremum rursus est disparitas, inter nostrum casum, ac illum, qui suadet furandum alicui indeterminatè, nam casus hic supponit eum, cui consulitur, non fuisse obfirmatum ad furandum ulli, proinde meritò imputatur furtum consulenti, etsi consilium determinatè nulli noceat, quisquè enim istorum est rationabiliter invitatus, cum nulli illorum furari etiam vagè intenderit, in nostro autem casu is, cui consulitur. Supponitur antea determinasse se nocere pauperi, à quo malo ut amovatur, cum consulens non habeat alium modum illum retrahendi proponit illi, si ita sit determinatus, ut relicto paupere, potius minus malum committat, (quale est furtum diviti faciendum) nullo divite in particulari nominato, aut designato, idcirco nullus videtur posse rationabiliter esse invitatus.

\* \*  
\* \*  
\* \*



## §. XXVIII.

*An consulens matrimonium voto castitatis obstricto, sed passim succumbenti, licitè consulat? Ubi, an votum tale valeat? & sit reservatum? ac qui in eo possint dispensare?*

211. Videtur ex dictis affirmandum, quia licitè consulitur minus malum ad vitandum majus per allegata à *num. 203.* sed voto castitatis obstrictus ducendo uxorem minus peccat, quam carnis stimulis agitur passim succumbens; sic enim multiplicat peccata vacando libidini, è contrà ducendo uxorem unicum committit peccatum, nempe per actuale contractum matrimonialem adversus votum, secùs postea debitum reddens. Hæc opinio videtur esse S. Epiphani *lib. 2. contrà hereses tom. 1. heresi 61. pag. 6.* ita loquentis apud Sanch. *lib. 7. de Matr. D. 11. num. 15. melius est unum peccatum habere, & non plura, melius est lapsum palam uxorem sibi sumere, quam quotidie occultis jaculis sauciari.* Ideo hanc sententiam quidam approbant apud Sanch. *num. 29.* ipse verò cum aliis communiùs, ac veriùs sentit ex hoc capite nefas esse tali consulere matrimonium, quia semper, aut ferè semper, aut frequentius succumbens non est obfirmatus ad succumbendum, ergo licet gravius sit toties succumbere, quam cum voto uxorem sumere, nequit tamen uxor consuli, quia per *num. 201.* non potest esse licitum

consilium minoris mali extrà casum, quo alter firmum habet propositum committendi majus. Si talis ita inhæreret libidini, ut nollet desistere, nec petere dispensationem voti facilè impetrabilem, omninò Salubriter ei consuleretur matrimonium, ut fateretur Sanch.

212. Inquirendum ergo an huic, quem vocemus Auspicium, ex alio principio sine peccato possit dari consilium de ineundo matrimonio. Si is, cui moraliter est impossibilis castitatis observantia, vovens castitatem invalidè voveat, sequitur Auspicio posse consuli matrimonium, si is vovit castitatem tempore, quo ejus observantia fuit eidem moralitèr impossibilis.

Queritur ergo an votum castitatis emissum ab eo, cui moraliter est impossibile castè vivere, sit validum? porrò illud censeretur debet moraliter impossibile, quod, vel viribus naturalibus nequit, nisi difficillimè fieri, vel supernaturalibus, nisi extraordinariis seu singularibus, ita Gobat *tract. 11. num. 72.* inde deducens: votum Patris Ludovici de Ponte annis 20. ante mortem emissum de nullo peccato veniali deliberatè patrando, votumque S. Theresiæ adhuc difficiliùs efficien-

ciendi semper, quidquid perfectius esse intellexerit, juxta communia principia non valuisse apud Sanch. *lib. 4. Decal. cap. 5. num. 10.* contra Navar. Dixi *communis*, quia in concreto, id est, consideratum, ut emissum ab hisce personis DEO plenis, non est dubium de valore, neuter enim dubitavit de speciali divino auxilio ad exequendum promissa; quin ad hoc fuerit necessaria divina revelatio de gratia futura efficaci. Prima sententia negat valere ita Trullench. *tom. 1. in Decal. lib. 2. cap. 2. dub. 5. nu. 18.* Adamus Burghaber *Cent. 1. casu 66.* Quintanaduenas *tra. 9. sing. 12.* Bonac. *Tom. 2. D. 4. quest. 2. p. 1. num. 26. junct. num. 21.* & alii apud Gobat *tract. 11. à num. 271.* Item Moya *in select. Quest. tom. 1. tract. 2. quest. 1. §. 1. nu. 7. & §. 3. nu. 20.* hanc sententiam etiam valde probabilem esse existimat. Probatum Primò. Nullum votum tenet, nisi de materia moraliter possibili, obligat enim instar legis, cum sit quaedam lex privata à vovente sibi imposita, sed votum Auspicii perpetuæ castitatis (idem est de voto Religionis) est de materia moraliter impossibili, ut præmissi proximè ex Gobat, & apud eundem *num. 270.* P. Burghaber docet, illi esse moraliter impossibilem castitatis observantiam, qui vexationibus carnis frequenter succumbit.

Probatum secundò. Ad valorem voti requiritur non solum ut sit de remoraliter possibili, sed etiam de re meliore, quam sit ejus oppositum, sed votum Auspicii non est de re meliore, quam sit oppositum; nam votum est de cælibatu, oppositum est matrimonium, hoc autem

hic, & nunc Auspicio est meliùs cælibatu, nam Auspicius constitutus in tali statu validè vovet matrimonium, uti docet Sanch. *cap. 7. num. 53 & lib. de Mair. D. 4. num. 7.* quod enim votum tale plura præpediat bona, ac præcludat viam statui perfectiori continentia, respondet, *num. 8.* præpedire secundum se, sed non in hoc homine, estque omninò cælibatus de se status perfectior, ex quo illum deicit votum matrimonii, sed non est perfectior respectu Auspicii, cui est melior libertatis matrimonialis, à qua illum remouet votum continentia perpetua. Major Syllogismi est recepta ex S. Th. *2. 2. quest. 88. a. 1. & 2.* apud Luntan. *num. 4.* Gobat *tract. 11. num. 3.* hic autem *num. 70.* rectè observat, quod dum definitur votum, quod sit *promissio DEO facta de meliore bono*, non sit intelligendum ita, ut id, quod vovetur sit melius quolibet alio, sic enim nullum valeret votum, nisi esset de summo bono, sensus itaque est, quod res aut actio voto promissa, debeat esse melior re, aut actione illâ, cui privativè ac directè opponitur.

213. Dubium tamen est, an illa bonitas sit in se spectanda, vel respectu voventis. Esse in se spectandam tradit Raynaud apud Gobat *num. 70.* *Nomine boni melioris inquit, debet intelligi opus illud, quod non est impossibile cum aliquo bono in se meliore, est respectu voventis, ut est particularis persona, possit fortassis oppositum esse melius,* Sanch. *cap. 8. num. 10.* E contra Gobat fatetur hoc esse verum in rigore, communiter tamen debet attendi, quid sit utilius voventi; & ideo Sanch. cit.

num. 53. & lib. 1. de Matr. D. 4. n. 7. defendit validum votum fore Auspicii de ineundo matrimonio, quia hoc frequenter succumbenti est melius, quam sit caelibatus, alias votum esset invalidum. Imò autumare cum Rayn. & Gobat. de rigore esse verum; quòd votum debeat esse de meliore bono in se, & non de eo, quod est melius voventi, est contra communem sententiam, ut videre est apud Moya in *select. quest. tom. 1. tract. 2. D. 1. quest. 1. §. 2. num. 16.* Et contra consilium Pauli ad Corinth. 7. *Melius est nubere quam uri.*

Ex hac sententia infertur Primò probabiliter votum castitatis cessare supervenientibus carnis stimulis reddētibz continentiam moraliter impossibilem, ita cit. Quintanad. num. 4. quia non minus votum in observantia debet esse de remeliorē, & moraliter possibili, quam emissio; sicut lex debet esse de actibus moraliter possibilibus etiam tempore continuationis; si enim tractu temporis evadit ejus observatio populo moraliter impossibilis, cessat obligatio legis.

214. Inf. 2. Conjux propter incestum commissum, aut votum non petendi debitum, aut cognationem spiritualem, petere debitum prohibitus, potest id petere, quoties est in proximo periculo lapsus ob urgentes tentationes, Quintanad. à num. 1. quia lex prohibens petitionem debiti incestuoso, aut spiritualiter cognato est Ecclesiastica non obligans cum periculo proximo violandi legem naturalem, aut divinam, ut fert communis sententia cum Bonac. de legibus D. 2. q. 8. p. 2. num. 1. his verbis: *Metus, seu probabile periculum gra-*

*vis damni regulariter excusat à transgressione legis humana. Hinc ille, qui timeret prudenter se occisurum Petrum, vel proximè exponi ad consensum adulterii &c. si Ecclesiam adeat die festo missam auditurus, certum est non teneri ad ejus auditionem.*

Conf. 1. Lex Ecclesiastica secundum omnes non ligat cum periculo probabili sanitatis, honoris, aut notabilis jactura temporalium, ergo multò minus cum probabili periculo salutis spiritualis, seu peccati mortalis, sed si non posset peti debitum in dicto casu lex Ecclesiastica prohibens tali petitionem debiti obligaret cum probabili periculo salutis spiritualis.

Conf. 2. Votum, & ejus observatio tunc est de re meliore, inquit Sanch. apud Quintanad. num. 4. *Quando majoris virtutis officium est, quod in votum cadit, quam ejus contrarium, sed non est majoris virtutis, quod in illo casu vir non petat, imò melius multò est, quòd vir matrimonio conjunctus castitatem secum, & cum aliis fœminis tervet, quam quòd eam veluti non tervet cum propria uxore, cum hac enim non tenetur ex jure divino, & naturali se continere, sed ex mero Ecclesie, & humano jure.* Post hæc & plura alia subdit cit. Quintanad. num. 8. valde probabile esse, ne scrupulis ansa præbeatur, nullo modo esse necessariam ad præfata primæ sententiæ usum dispensationem, etiam si facile obtineri possit, cum hæc sententia nitatur in eo, quod tunc non lex, nec votum obligent. Eo modo quo Doctores apud Bonac. de leg. D. 1. p. ult. num. 8. docent legis obligationem cessare in iis casibus

sibus, qui per Epicheiam (cujus nomine in fin. *num.* 9. intelligit æquitatem, seu prudentiam) non censentur comprehendi in lege, etiamsi verba legis comprehendere videantur.

215. Gobat post lecta primæ hujus sententiæ fundamenta, et si antea secutus sit, oppositam mox referendam *tract.* 11. *num.* 280 perdifficile tamen videtur ipsi negare omnem illi practicam probabilitatem. Unde fatetur, se nec Auspicio, de quo loquitur questio nostra. *num.* 212 volenti nubere absque dispensatione negaturum absolutionem, uti nec incestuosò conjugato &c. circa dispensationem ob urgentes tentationes (de quo est illatio secunda) petenti debitum, quoties ab iis urgetur cum probabili periculo lapsus, nisi perat; moneret tamen utrumque ad petendam dispensationem saltem ad cautelam, seu duntaxat ad securitatem conscientie. Verùm Sanch. *cap.* 8. *num.* 9. negat esse necessitatem dispensationis, si votum est irritum.

Confirmat Quintanad. *num.* 3. & cum eo Gobat. *num.* 277. ex duplici juris principio: primum est; *lex non debet esse iniquitatis vinculum*, Barbof. de princip. lit. L. *num.* 25. Votum est lex privata explicanda eo modo, quo explicaretur lex lata de illa materia, de qua est votum. Sanch. *lib.* 4. *Decal.* *cap.* 11. *num.* 54. Vide *num.* 179. *vers.* *Hinc incidenter &c.* Alterum est; *periculum ubi majus intenditur, ibi plerumque consulendum, cap.* 3. *de elect. in 6.* Sed Auspicius vehementibus stimulis agitur est in maximo periculo lapsus carnalis, huic periculo à lege consulere

(si hæc illum obligaret ad castitatem) permittendo matrimonium, ut ab eo evadat periculo, ergo etiam potest Auspicius sibi consulere non obstante voto, cum istud sit privata lex quam spontè sibi imposuit. Hanc sententiam amplius urgebo à *num.* 220, ex communi Doctorum apud Moya cit. §. 1, 2, & 3. in quem incidi primum post superius scripta.

216. Secunda sententia longè communior stat pro valore castitatis emissi ab Auspicio, nec desinere obligare Auspicius si post emissum cepissent illum vexare carnis stimuli, cum periculo lapsus; nam quanti Ecclesia faciat votum perpetuæ castitatis, aut Religionis colligitur ex gravitate onerum, quæ solet imponere in eo dispensatis, unde non pure dispensat, sed admiscet arduam commutationem, teste Sanch. *cap.* 8. *num.* 10. ergo sentit Ecclesia validum esse ejusmodi votum. Hanc opinionem cit. Moya *num.* 20. præfert primæ.

Probatur 2. Aliàs Auspicius in statuto tali suscipiens subdiaconatum, vel profertens Religionem non tenetur voto solenni castitatis, atque adeò posset nubere, Religionem deserere; hoc autem nullus hæcenus est concedere ausus, Rectè proinde in Auspicio esset locus doctrinæ. Gloss. in *cap. in malis* 22. *quest.* 4. *Aliud in malis promissis, aliud in male promissis: primum non est servandum servandum secundum.*

Hanc sententiam inter alios, pluribus in locis tuetur Sanch. & quidem loco proxime citato fatetur argumenta producta pro invaliditate esse fortissima ad persuadendum speculativè intentum, ac practice id asserere non audeat. Deinde *lib.* 7.

de Matr. D. 11. num. 9. certissimum esse putat; demum lib. 9. D. 7. n. 7.

217. Confirmatur solutione Argumentorum primæ sententiæ. Ad primum Resp. 1. majorem esse veram, quando voti observantia de re moraliter impossibili non est necessaria ad bonum commune Ecclesiæ, voti autem castitatis perpetuæ observantia est de re gravissima, & plurimum conducente ad commune Ecclesiæ bonum, & ideo etiam cum morali impossibilitate obligat. In similibus etiam leges humanæ obligant cum morali impossibilitate, imò cum vitæ periculo, dum ita postulat commune bonum, ut patet in excubiis periculosis militaribus, aggressione hostis &c. Hoc enim non excedit libertatem nostram, prout necessarium ad meritum, & demeritum, uti constat in lege divina, & naturali obligante etiam cum morali impossibilitate rei præceptæ, ergò idem dicendum de voto, cum hoc sit interpretandum ad normam legis humanæ, unde patet Responsio ad majoris probationem, & simul ad minorem.

Resp. 2. ad primum, cum Palao p. 3: tract. 15, D. 1. p. 8. num. 14. concessa majori, Distinguo minorem: votum Auspicii est de re moraliter impossibili non adhibitis remediis contra carnis stimulos concedo minorem: adhibitis remediis mortificationis, orationis &c. nego minorem: ad quæ videtur se virtualiter obligare vovendo castitatem, utpotè ad medium necessarium. Unde docet ibi Auspicio esse matrimonium utiliùs cœlibatu duntaxat sub conditione non utendi remediis spiritualibus, scilicet absolute, quapropter absolute loquendo sequitur,

R. P. Karch. Diss.

ut verior sententiam Soti, Aragon. &c. quod votum contrahendi matrimonium sit nullum emissum etiam ab habente peccandi consuetudinem, adhuc enim tale votum impedit majus bonum formaliter, nempe cœlibatum, & statum Religiosum. Hinc.

Resp. ad probationem secundam, concessa majori, nego minorem: ad probationem, nego matrimonium esse absolute melius Auspicio, quàm cœlibatum, sed solum, si nolit adhibere remedia spiritualia contra venereas tentationes; & tunc omninò est obligatio assumendi matrimonium, Soarez tom. 2. de Relig. lib. 2 cap 9 à num. 12. Less. lib. 2. cap. 4. num. 44 Laym. lib. 4 tract. 4. cap. 2. num. 12. Resp. 2. ad eandem cum Sanch. cit. cap 8. num. 10. quod Auspicio, ut hic est persona particularis, cœlibatus sit deterior matrimonio, & hoc ad summum probant argumenta pro prima sententia: nego autem illi prout est membrum, seu pars communitatis Ecclesiæ matrimonium esse melius cœlibatu. Ratio, quia si Auspicius sine Ecclesiæ judicio posset uxorem ducere multis scandalis, & malis panderetur via in Ecclesia, ad quæ præcavenda meritò exigitur Ecclesiæ judicium, an sit votum dispensabile. Quare ut cesset voti emissi obligatio, vel ut prima ejus nuncupatio esset irrita, deberet omnibus perpensis, proinde Auspicio etiam, prout est pars communitatis Ecclesiæ, esse melius matrimonium, quàm cœlibatus. Sufficit ergò in similibus circumstantiis, si materia voti in se sit melior opposito.

Solutio firmatur instantia ducta ab effusione seminis humani, quæ directè

X

pro-

procurata nunquam est licita, esto respectu hujus personæ individua sæpe foret melior, ac utilior, ut quando nimium abundat, aut est corruptionis periculum, quia nempe semper est contra commune bonum generis humani ( hoc enim intendit sui propagationem, consequenter conservationem seminis, cujus prodigendi summum esset periculum, admissio semel casu, quo esset licita procurata ejus effusio, plurimi enim facillimè crederent adesse nunc circumstantias illas, quæ cohonestant illam ) consequenter est illicita singulis, ut sunt membra generis humani, etsi expediret aliquibus, ut sunt personæ particulares.

218. Ad dubium *num.* 213. admitto bonitatem rei promissæ esse etiam respectivam, nempe quæ sit melior etiam voti, at Auspicio etiam, ut est persona particularis, est melior cœlibatus, si utatur remediis contra insultus carnales. Deinde sufficit, si illi, ut est pars Ecclesiæ, melius sit esse cœlibem, quàm maritum.

Ad illationem primam negatur cessare obligationem voti. Ad secundam etiam negatur posse sine dispensatione peti debitum ab incastuoso. Concedo legem Ecclesiasticam esse regulariter de moraliter possibilibus, aliquandò tamen etiam est de moraliter impossibilibus. Item est etiam de moraliter impossibilibus, quando id expedit bono communi. Auspicio cœlibatus est moraliter possibilis, si adhibeat opera mortificationis; aut eadem, ut membro Ecclesiæ est utilior, esto sit moraliter impossibilis, uti constat ex proximè dictis.

Eadem doctrina est applicanda ad

confirmationes duas. Solutiones datæ roborat Ecclesiæ praxis (cujus memini *num.* 216.) ac constans observatio voti subdiaconi, ac Religiosi Professi.

Proposui ad Quæstionem *num.* 212, sententias in partem utranque, solvique argumenta negantis voti valorem. Fundamentum stantis pro valore est stylus Ecclesiæ, qui in re tam gravi videtur facere legem, aliàs Auspicius, etsi esset subdiaconus, aut Professus, non obligaretur voto, quòd enim istud sit solenne non obstat, quia quoad substantiam non differt à simplici.

219. Ad hæc Responderi potest, quòd nullibi sit in Jure Canonico decisum, votum castitatis simplex, & Religiosum non constituens emissum ab iis, quibus est moraliter impossibilis cœlibatus, esse validum, aut quòd ante hanc impossibilitatem factum non cesset obligare. Quare duntaxat est praxis contraria Ecclesiæ, quatenus carnis stimulis vexati solent recurrere pro dispensatione, hujus tamen necessitatem nulla ratio evidentè evincit, sed majorem conscientia securitatem.

Dixi *votum simplex*, & Religiosum non constituens, nam simplex faciens Religiosum (quale est emitte consuetum à Societatis Religiosis post Novitiatum) ac solenne omninò concedo valere nec cessare posse obligationem propter commune bonum, tum statum Religiosi, tum universalis Ecclesiæ, propter quòd etiam cum morali impossibilitate, ac ob vitanda scandala, sive sit emissum post, sive antè peccandi proclivitatem valeret ob dicta *num.* 217. solenne enim votum facit membrum Religionis, aut status Clericalis, cui melior est cœlibatus.

Hac

Hæc scandala non sunt timenda ex voto simplici etsi vexatus carnis stimulis moraliter necessitantibus ad lapsum ante emissum non fervet, aut concedatur non valere factum à nostro Auspicio, nisi constaret id emissum, tunc enim omninò ob scandalum declinandum in iis, qui ignorant causam, ob quam Auspicius vult inire matrimonium, esset petenda dispensatio: secluso autem scandalo non video quidquam præjudicari bono communi Ecclesiæ. Quod enim Sanch. *cap. 8. num. 10.* dicat majus bonum non judicandum relativè ad voventem, ut est persona particularis, sed ut est pars Ecclesiæ, cui melior est cœlibatus. Contrà est, quòd quisque fidelis ante votum, verè sit pars Ecclesiæ, & tamen, quia respectu illius, ut est persona particularis, majus bonum est nubere, idèò etiam secundùm Sanch. validum est votum, ergo pro illis circumstantiis nequit esse validum votum cœlibatus, cum sit impossibile pro tunc cœlibatum esse illi melius bonum, unde & ego meum sensum dicam.

Resp. ad Quæstionem propositam opinionem stantem pro valore esse probabilior, ac tutior, negativam verò non carere probabilitate, uti rationes pro ea productæ suadent, ac solutio satis commoda fundamenti præcipui, quo innititur prior loquendo de voto simplici non constituyente Religiosum, de solenni autem libenter concedo, id certè valere, nec cessare ejus obligationem.

Resp. 2. Auspicius me non absolveturum, nisi prius adhibitis remediis mortificationis, orationis &c. adhuc urgeretur frequenter ad lapsum, nam Auspicius votende castitatem vovet virtuali-

ter media moraliter possibilea eam servandi per *num. 217.* His adhibitis nec proficientibus absolverem volentem ducere uxorem, modo haberet animum petendi dispensationem *solum ad securitatem conscientie*, nè aliquandò scrupulis possit vexari. Quod si autem absolutè recusaret petere allegans pro se sententiam primam sibi favorabilem, cum supposità probabilitate nullitatis voti, nulla possit esse necessaria dispensatio uti observavi *num. 215.* ex Sanch. *cap. 8. num. 9.* deberem illum absolvere ex generali illo principio, quod absolutio negari nequeat utenti opinionè practicè probabili, talem esse primam fatetur Gobat *per num. 215.* olim contrarius, Moya cit. valde probabilem.

220. Occasione voti perpetuæ castitatis (idem est de voto ingrediendi Religionem) emissi ab Auspicio frequenter succumbente oritur incidens dubium non importunè hic pro complemento enodandum. Primò, utrùm inhærendo sententiæ defendenti ejus valorem sit reservatum Papæ? Secundò, quis in eo possit dispensare, aut id commutare?

Supponendum hîc, quod Papa sibi quinque reservat Vota, nempe perpetuæ castitatis, Religionis, ac trium peregrinationum, Hierosolymitanæ, Compostellanæ, ac Romanæ ad invisenda limina Apostolorum. Et cum reservatio sit odiosa, sunt strictè interpretanda, id est, non censentur reservata, nisi constet esse strictè, seu propriè talia. Sanch. *lib. 4. Decal. c. 40 nu. 77.*

Resp. nunc 1. Votum Auspicii non esse reservatum, ita Moya cit. *num. 23.* censens id satis probabiliter negari, quia

reservatio utpotè odiosa ad sola vota certò valida est restringenda, Sanch. *lib. 4. Decal. cap. 40. num. 26. & cap. 44. num. 3.* sicut reservatio peccati non extenditur ad peccatum dubium, sed tantùm ad certum, sed votum Auspicii èmissum non est certò validum, sed probabiliter nullum per *num. 212.* & tres sequentes, idque debent fateri ex Doctoribus secunda sententiæ, de qua à *num. 216.* quotquot admittunt votum nubendi pro illis circumstantiis esse validum, ex hoc enim antecedente sequitur evidenter pro illis circumstantiis votum castitatis esse irritum, cum sit impossibile, ut pro iisdem circumstantiis duo contradictoria sint æque bona: ergo cum matrimonium sit Auspicio melius cœlibatu, hîc pro tunc nequit esse materia voti castitatis.

Nec locus est hîc distinctioni Sanchezianæ, quod majoritas boni non sit pensanda relatè ad voventem, ut est individuum particulare, sed ut est pars Ecclesiæ: non inquam, locus est, nam per *num. 219. vers. Dixi votum &c.* ipse Sanchez cum plurimis concedit ab Auspicio validè voveri matrimonium, quia illi, etsi ut est pars Ecclesiæ, sit melior cœlibatus, non tamen est melior eisdem, ut est individuum particulare, sed oppositum. Ratio autem est, quòd ad honorem Dei, ut aliquid sit gratius, non refert, quòd in universali, & in se consideratum præstantius sit, sed quòd hîc, & nunc præstet; actuum enim humanorum bonitas ex adjunctis circumstantiis, uti etiam malitia est desumenda.

Quare præfata distinctio locum habet duntaxat in voto solenni, ac simplici faciente Religiosum, cum enim per tale

votum efficiantur membra statûs Religiosi, aut Clericalis, illisque, ut membra sunt, præstet cœlibatus præ matrimonio, idèò nunquam votum cœlibatûs potest esse irritum, aut obligatio semel validi suspendi ex certa sententia citari Moya *num. 19.*

221. Resp. 2. ad primum: Si Auspicius ante carnis tentationes emisisset votum, atque adèò fuisset Papæ reservatum, nihilominus supervenientibus tentationibus causantibus probabile periculum lapsûs suspenditur obligatio voti, ergo etiam suspenditur reservatio, ergo illi manet integrum absque dispensatione inire matrimonium, quia hoc pro tunc est illi melius, quam materia à se promissa, sed quando constat illi quid melius, quam materia à se promissa, potest in id propriâ auctoritate commutare. Has illationes esse legitimas ex antecedente, imò & fortissimas apertè sentit Sanch. *cap. 8. num. 9. & 10.* antecedens autem etiam legitimè deduci, si verum est, quòd votum castitatis à valdè propenso in voverem, emissum sit irritum, fatetur ibidem, idque probatur ulterius ab eodem *cap. 2. num. 23.* ex regula tradita ad D. Th. Sylvest. & aliis pluribus. *Id liberat voti, aut juramenti obligatione, quod si in principio accidisset, impediret ea fieri.* Hanc regulam sic intelligit, ut, sicut non valeret, quando materia esset ab initio mala, indifferens, aut majus bonum impediret, ita si quæ à principio erat legitima materia, efficiatur postea mala, indifferens, aut majus bonum impediatur, efficiet, ut cesset obligatio. Ex hac regula deducit *num. 24.* si perpetuò impediatur majus bonum, obligatio

gatio penitus tollitur, si ad tempus suspenditur obligatio, quæ redivit sublato impedimento.

Unde cit. Moya num. 13. planè putat deduci, doctores, qui hæc duo principia simul defendunt: *Votum non nubendi emissum à proclivi in venerem est irritum: Et circumstantia, qua advenit post votum emissum, qua si ab initio esset, redderet irritum, si postea eveniat, efficit, ut cesset obligatio*, non posse negare, quòd si carnis fragilitas superveniat voto emissò non nubendi, suspendatur talis obligatio. Idem num. 17. ita loquitur: *Fateor ingenuè difficile disparitatem reddi inter eum, qui emisit votum precedente carnis fragilitate, & eum, cui supervenit post votum emissum, quandoquidem votum desinit esse de majori bono.*

222. Resp. ad secundum, n. 220. propositum 1. Possè Episcopum in eo dispensare, quia ut proximè probatum, non reservatur Pontifici, Sanch. cap. 40. num. 26.

Resp. 2. Episcopum dispensare non posse in ullo voto reservato, nisi deficiat voti materia, aut si non deficit, urgeat magna necessitas, sine facili recurso ad Pontificem, tunc autem non est facilis recursus, quando sunt expensæ faciendæ, quas non habet propter paupertatem is, qui est dispensandus, aut, si est facilis aditus, ex mora adveniendi imminet periculum gravis damni proprii e.g. incontinentiæ, aut alieni, aut si juvenis post emissum votum castitatis, aut Religionis vellet consulere famæ honestæ puellæ, aut viduæ à se imprægnatæ, interim, si

Pontifex adiretur, infamaretur, aut parentes impedirent matrimonium cum periculo secuturi scandali, vel infamiæ, est communis cum Sanchez num. 32. juncto 34. & sequentibus. ac lib. 8. de Matr. D. 9. à nu. 22. Estque id verum, ut fert ex probabiliore sententia Sanch. cit. cap. 40. num. 38. esto facilis foret accessus ad Nuntium Apostolicum, etsi hic foret cum potestate à latere, hic enim in sua Nunciatura jure ordinario non pollet majore dispensandi facultate, quam Episcopus in sua Diocesi: si habet commissam dispensandi facultatem, negat cum Less. lib. 2. cap. 40. num. 106. posse Episcopum, quia cessat causa necessitatis, sicut cessat, si Pontifex posset adiri (quo argumento etiam probat non posse simplicem sacerdotem in præsentia approbati absolvere moribundum) nihilominus videtur probabile etiam tunc posse, eo quòd sit pet accidens adesse delegatum potentem, ergo non censetur potestas ablata Episcopo, Tamb lib. 3. Decal. c. 16. §. 4. num. 38. citans Henriq. Avil. & alios.

Porro, quando Episcopus in voto Pontifici reservato dispensat, non facit id jure ordinario, seu officii, sed ex benigna interpretatione Pontificis committentis pro tunc jus; at in casu nostro Auspicii, cum non sit reservatum, dispensat jure ordinario, ita Honorat. Fabri, Dialogo. 10. pag. mihi 203. Sanch. num. 35.

223. Resp. 3. ad secundum; Mendicantes vi suorum Privilegiorum possunt dispensare in omnibus votis etiam Episcopo reservatis, dummodò non reserventur Pontifici, possunt igitur dispensare in

voto Auspicii, utpotè non reservato; Religiosi tamen Societatis nequeunt, nisi dependenter à Commissione facta à superiore immediato, aut mediato, ut constat ex *Compend. Privileg. Verb. dispensatio* § 8.

Difficultas est, an in casibus, in quibus Episcopi ex urgente necessitate dispensant in votis Papæ reservatis, etiam mendicantes dispensare valeant. Ratio affirmandi, quia possunt Mendicantes virtute Privilegiorum dispensare, & commutare omnia vota non reservata Pontifici, sed votum castitatis, aut Religionis urgente necessitate e.g. periculo incontinentiæ ex mora, aut gravis scandalii, aut magni damni tertiæ personæ, aut si præ paupertate non pateat facilis ad Pontificem aditus, aut alia ex causâ non est reservatum ex mente Pontificis, ita *Sanch. lib. 8. de Matr. D. 9. num. 22. juncto lib. 4. Decal. cap. 40. num. 32. Less. lib. 2. cap. 40. num. 106.* ubi referens casus, in quibus Episcopus potest in voto integræ castitatis dispensare sic ait: Quartus quodcumque est magnum periculum incontinentiæ &c. & non est facilis recursus ad Pontificem, vel ejus delegatum, tunc enim (attende) *quia est necessitas, censetur Pontifex non intendere reservationem, sed permittere Episcopo, ut suâ potestate ordinaria, quam seposita reservatione habet, utatur.* Non enim vult suam reservationem esse in eversionem, sed in ædificationem animarum. Itaille. *Dian. p. 6. tract. 6. Resol. 50.* loquens de periculo incontinentiæ conjuncto paupertati, ob quam non est facilis accessus ad Pontificem, credit hunc non velle sibi

pro tunc reservare votum. Et *p. 11. tr. 8. Resol. 49.* defendit cum *Dicastill. tom. 2. de Sacram. tract. 8. D. 11. dub. 17. num. 305.* superiorem non reservare peccatum pro circumstantiis urgentis necessitatis.

Hoc argumento convictus Pasqualigus *d. Jubil. quest. 306* concedit tempore Jubilæi posse commutari vota castitatis, & Religionis prout substant circumstantiis, ob quas Episcopi possunt in iis dispensare, *quia inquit, ut talia non sunt Pontifici reservata,* reservatio enim est tantum in ædificationem, non autem in destructionem, *Trid. Sess. 14. cap. 7.* ergò ex natura rei se extendit ad casus, ad quos si se extenderet, esset in destructionem: esset autem in destructionem, si se extenderet ad vota, in casu, in quo si non possent Episcopi dispensare, pateret gravissimum damnum etiam spirituale esse, non autem in utilitatem: ergò vota in talibus circumstantiis non sunt reservata, non quia subtrahantur à reservatione ex præsumpta voluntate Pontificis, sed quia reservatio ipsa non comprehendit. Hucusque Pasqualigus.

Etiam extrâ Jubilæum Regulares mendicantes, ac horum privilegia participantibus posse commutare, ac dispensare in votis Papæ reservatis, quando possunt Episcopi probatur ulterius: possunt dispensare in omnibus votis etiam Episcopo reservatis, id est, *in quibus possunt iure ordinario Episcopi;* *Sanch. c. 43. num. 7.* sed Episcopi seclusâ reservatione possunt in omnibus votis in sua Diœcesi, in quibus potest dispensare Pontifex in toto orbe, *Sanch. cap. 40. num. 25* ergò Mendicantes Regulares possunt dispensare

sare in omnibus votis, in quibus Episcopi in sua Diocesi, sed hi possunt in votis Papæ reservatis, dum urget necessitas proximè exposita &c.

224. Resp. Sanchez cit. junct. *cap. 40. num. 34.* ejusmodi vota adhuc esse reservata, in quibus, quòd Episcopi possunt dispensare, est per accidens nempe ex benignâ interpretatione Pontificis per *num. 222. in fine.* Secus jure ordinario.

Contrà est primò, quod hæc Responso sit inconsequens ad ea, quæ paulò antè ex illo retuli, nimirum vota ista pro illis circumstantiis non esse reservata. Secundò Episcopus suo jure, ante reservationem poterat dispensare cum omnibus Diocesanis in his etiam votis, ergò suo jure extrà necessitatem suspensò, hæc urgente dispensat, sed Mendicantes vi Privilegiorum possunt dispensare in omnibus, in quibus jure proprio dispensare potest Episcopus, ergò. Et ita opinatur Crocers ordinar. Minor. in *Reg. S. Francisci c. 7. Sect. 29. fol. 785.* apud Moya *q. 2. §. 3. n. 17.*

Ex eodem Principio Fr. Ludovicus à Concept. in *Exam. verit. tom. 1. de Matr. casu 30. fol. 102.* defendit Episcopos in similibus urgentibus circumstantiis non ex commissione Pontificis, ut alii autumant sed jure communi posse dispensare, probabilius enim est, quod dispensatio tunc in voto perfectæ castitatis, & Religionis jure communi, & ordinario ad eos pertineat.

Eandem sententiam ex principiis intrinsecis esse veriorē post citatos sequitur Fr. Francisc. Pichon. *Ord. Min. in tract. de Matr. D. 6. cap. 2. Sec. 3. nn. 136.*

*fol. 396.* non valet, inquit, tunc dici ex benigna interpretatione mentis Pontificis, Episcopum dispensare, per quod non definiunt talia vota esse reservata: hoc enim est implicatorium evidenter, si benigna interpretatio mentis Papæ non æquivalet judicio, quo Episcopus judicet prudentissimè, quòd non fuit mens Pontificis, ut votum esset reservatum in tali, & simili casu (nisi enim cesset reservatio, benigna interpretatio nequit æquivalere dicto prudentissimo judicio) Proinde in casu necessitatis prædicta vota manent in terminis juris communis, sicut fuerant ante reservationem.

Hæc ductus exemplo Moyæ, ad difficultatem *num. 223.* propositam, produxi mentem virorum Doctissimorum propriis eorundem verbis expressam, ex quibus multum elucidatur jus Episcopale divino, ac naturali jure eisdem competens in Diocesanos, siquidem divinitus sunt constituti pastores.

Confirmari hæc possunt ex iis quæ tradidi in *tract. Canon. de Matr. num. 224.* cum Sanch *lib. 2. de Matr. D. 4. num. 14.* Wiest. *de Matrimonio Contracto contra interdictum Ecclesiasticum num. 72.* & aliis asserentibus Episcopum posse delegare suo Vicario potestatem dispensandi in impedimentis dirimentibus, in quibus ex necessitate gravi possunt Episcopi; sed non possent delegare, nisi Episcopi in ea gravi necessitate jure ordinario, seu dignitati annexo dispensarent.

225. Verùm allegatis pro benigna opinione Doctoribus resistunt communiter omnes anteriores Theologi cum Soarez, Sanch. Laym. Pal. Pont. &c. Et ideo

Et ideo illud commune principium: *Regulares virtute suorum privilegiorum possunt commutare, aut dispensare omnia vota, quæ Episcopus jure ordinario potest dispensare;* cui innititur sententia contraria, quæ, si principium nullam exceptionem admitteret, non solum probabilis, sed verissima foret judice Moya q. 2. nu. 22.

Porro exceptio ab eo principio consistit in hac limitatione: *Regulares virtute privilegiorum possunt commutare &c omnia vota, quæ modo, in quovis eventu, communiter, & regulariter potest Episcopus dispensare.* Hujus limitationis reddit rationem Moya, quod apud omnes veteres, & modernos paucis in contrarium allegatis, principium illud sic receptum inveniatur. Confirmatur. Certissimum est, quod possit Pontifex sibi, & Episcopis præfata vota reservare, sed defacto in sensu limitationis esse sic reservata est cæterorum communis Theologorum sensus, aliàs latissima esset potestas Regularium circa prædicta vota castitatis, & Religionis commutanda, facilèque confessarii præsertim indocti crederent necessitatem urgentem, quæ verè talis non esset, non sine errore in rem gravi.

Resp. ad difficultatem num 223. adductam negativè, quia principium, cui contraria sententia innititur non potest habere sensum ab ejus authoribus intentum, sed limitatum proximè expositum; quo stante ruit totum, quod illi adversarii superstruunt,

Duo addo cum Moya num. 24. posse virtute suorum privilegiorum Regulares. Primò, votum strictioris Religionis commutare in minus strictam, sic enim non commutatur votum, sed quoddam ejus accidens. Secundò, possunt commutari vota, & dispensari castitatis, ac Religionis emissæ ab impuberibus (nisi post pubertatem renoventur) usque ad annum 25. ætatis, quia cum sint à parentibus irritabilia, non reservantur Pontifici.

226. Resp. 4. ad secundum, n. 220. Quæsitum, confessarios non Privilegiatos, Parochos, & Archidiaconos in votis etiam non reservatis Pontifici non posse dispensare, etsi non sit facilis accessus ad Episcopum, quia nulli horum competit de jure scripto hæc facultas. Consuetudo, etsi det Jurisdictionem *C. cum contingat de foro compet* attamen non est extendenda ultra id, in quo est recepta; sed non est recepta ut confessarius unquam dispense, imò nec Parochus, nisi in jejuniis, ac esu carniarum (in observantia præceptorum ubi etiam consuetudo viget) & quidem etiam præsentente Episcopo. Unde etiam Archidiaconus nequit dispensare, nisi quatenus usus obtinuit; proinde si ex usu potest dispensare in voto peregrinationis, non sequitur posse etiam in voto abstinentiæ, ita

Sanch. lib. 8. de Matr. D.

9. num. 27.

\* \* \*



§. XXIX.

An abortus in sumpta medicina prævius imputetur ad culpam? ubi de irregularitate, & excommunicatione annexa, & dispensatione prioris.

227. **C**onveniunt omnes, imputari ad gravem culpam, si extra casum recuperandæ, aut præservandæ sanitatis, aut evitandæ mortis, aut infamiae fiat sumptio, ut impediatur generatio, aut fœtus etiam inanimatus ejiatur.

Difficultas duplex est; prima, an ante fœtus animationem possit sumi medicina cum periculo abortus? Secunda, an post fœtum animatum licitè sumatur pharmacum, ex quo sequatur abortus? Discordant D.D. apud Lug. de Just. D. 10. num. 130. negantibus aliis in utroque casu, è contra aliis affirmantibus in primo, & negantibus in secundo.

Melius communior distinguit, negans in utroque casu, quando medicina directè tendit ad abortum procurandum, quia si est fœtus animatus, sumptio foret directæ innocentis occisio, si non est animatus, sumptio est dissipativa conceptionis fœtus minùs distantis à generatione hominis, quàm seminis effusio, sed hæc nunquam potest procurari directè sive per medicinam, sive per aliam viam, ergò multò minùs sumpta medicina dissipativa fœtus inanimati. Hinc amplianda est hæc doctrina etiam ad casum, quo sani-

R. P. Karch, Diff.

tas matris periclitatur, nam effusio seminis directè intenta etiam pro tuenda vita nunquam est à natura concessa, Lugo citat.

Huic communi sententiæ adversatur Sanch. lib. 9. de Matr. D. 20. n. 9. concedens ante animatum fœtum, si mater ex morbo periclitetur, posse procurari abortum, postea num. 10. negans, si vitæ periculum imminet ex partu, aut infamia, quam incurreret furtivè imprægnata. Rationem primi dat, quòd nullum committatur homicidium, fœtusque sit pars inanimata viscerum, proinde non est, cur imminente matri discriminè sit ejus animatio expectanda, præsertim cum pereunte matre nunquam animabitur. Secundi verò, quòd cum periculum non sit præsens, sed remotum, fœtus non sit aggressor, uti est in primo casu, possitque periculo futuro aliis mediis, & coloribus occurri.

Est ergo Disparitas ad argumentum sententiæ contra priorem Sanchezii partem ductum à nobis ab effusione seminis; nam respondet num. 12. quòd ratio, ob quam nunquam sit licita effusio directæ, non sit damnum generationis, sed quia extrà copulam nulla est permilla seminis

Y

admi-

administratio homini, idque propter imminens periculum ob nimiam delectationem, quæ sentitur, hæc ratio deficit in abortu.

228. Contra utramque rationem, & quidem contra primam est, quod abortus fœtus inanimati non sit quidem homicidium, negatur tamen, quod sit pars viscerum, de qua unquam possit mater disponere, sicut non potest ullo in casu disponere de seminis effusione. Disparitas data à Sanch. nempe, quod homines delinuti eâ voluptate matrimonia evitent, ac generationem, ostendit seminis usum alium non esse, ac finem, nisi generationem, atque ad eò effusio sit generationi, damnosa, sed fœtus abortus est eidem plus damnosus, ita Pont. *num. 2.*

Contra rationem secundam est primò, quod etiam infirmitas, contra quam est abortus licitus, possit esse talis, quæ non adferat periculum mortis hodiernæ, sed post mensem, & tamen hodie potest procurari licitè abortus, ergo etiam procurari potest hodie ad prævertendum periculum mortis ex partu, non enim est expectandus ultimus articulus necessitatis, & periculi, inquit Lugo, sed tempestivè oportet prævenire adhibitis remediis, quia postea serò medicina paratur, nec fortè proderit post nimiam morbi invalescitiam.

Contra est Secundò, quod etiam in casu posteriore possit esse periculum præsens, ut si uxor ex adulterio conciperet, maritusque absens domum reverfurus eam gravidam reperiret, occideretque.

Contra est Tertio, quod negetur fœtum inanimatum esse aggressorem, aliàs etiam animatus esset aggressor, uti & seminis abundantia, consequenter etiam liceret procurare abortum fœtus etiam animati, & pollutionis ad abigendam seminis superfluitatem, cum non minus innocens possit se defendere ab aggressore animato, quam inanimato: longèque violentius aggreditur vitam humanam, quam fœtus adhuc inanimis morbosque acutissimos, gravioresque causet abundantia seminis, quam fœtus exanimis, ita *Sperer Theolog. Sacram. p. 4. cap. 4. nu. 766.* Eadem hæc Tertia retorfitio est Mazuchell. apud Dian. *pag. 7. tract. 5. Resol. 34.*

Neque alius videtur esse sensus P. Andreæ Mend. in *Epitome opin. in Append. Casuum notabilium §. de medicamine afferente alteri mortem*, ubi postquam à *num. 1.* negasset posse licitè infantem admoveri uberibus matris ad eugendum lac venenatum (hoc enim est infantem occidere) *num. 7.* negat infantem transversum in partu, si vivat, posse discerpi ut vita matris servetur, citatque pro se cit. Sanch. *num. 14.* ubi negat post fœtum animatum esse licitum usum medicinæ dilacerantis, liceret autem, si esset aggressor.

Quod si dicas etsi sit aggressor, occidi tamen nequit, nè æternum damnetur. Contra hoc opponi potest, quod incertum sit, an fœtus animatus sit unquam lucem visurus, eo casu vita spiritualis infantis est incerta, arqui periculum mortis certum nemo tenetur propter salutem spiritualem proximi incertam subire. Quod addat Sanch. in casu Secundò posse

posse aliis mediis occurrere, non solvit difficultatem, quæstio enim est, quando tentatis aliis mediis, nullum aliud occurrit, nec utile speratur, nisi unicus abortus, ita Lugo *num. 130. in fine.* Hæc de medicina directè procurativa abortus fœtus nondum animati.

229. Si autem pharmacum directè tendat ad vitam tuendam, seu ad expellendam vim morbificam probabiliter allaturam mortem, indirectè autem causet abortum, opus est beneficio distinctionis, inter fœtum nondum animatum, & animatum.

Dico ergo 1. Fœtu nondum animato mater ægra licitè sumit pharmacum directè tendens ad expellendos noxios humores, etsi præter intentionem sequatur, proinde indirectè abortus, ita potiores cum Sanch. *num. 14.* Lugo *num. 132.* contra Vasquez *de Respit. cap. 2. §. 1. dub. 7. num. 28. & cap. 5. §. 2. dub. 6. num. 23. & seqq.* Pont. *lib. 10. de Matr. cap. 13. num. 6* concedentes solam sanguinis missionem licere, etsi inde subtrahatur sanguine subtrahatur proli alimentum, & sequatur abortus, quia matris jus in sanguinem priùs est jure prolis ad alimentum, sanguisque sit etiam alimentum matris, noxium autem sibi non teneatur retinere, quod emissio negativè solùm concurrat ad necem prolis, è contrà reliqua pharmaca positivam causet alterationem, consequenter etiam mortem prolis. Ratio communis sententiæ est, quod mater prægnans habeat jus utendi mediis per se tendentibus ad sanitatem, etsi inde prævideatur secutus abortus, sicut ex intentione sanitatis est licitus usus pharmaci per se co-deservientis, etsi præ-

ter intentionem contingat pollutio ex alteratione humorum.

230. Difficultas secunda *num. 227.* proposita, dum fœtus jam est animatus. Quo autem tempore post conceptionem animetur, varias retuli opiniones in *Dissert. de Fure & Just.* & quidem communem volentem masculos animari circa diem 40. fœminas circa 80. in dubio autem sexum potiùs masculum præsumi ex praxi sacre Pœnitentiariæ testis est Navar. *Consil. 46. de homicid. num. 2.* Alii apud Didac. Hurt. in reformata Theologia ad propositum Innocent. XI. *Dissert. 21. num. 49.* censent animam rationalem non infundi, nisi post trimestre, aut quadrimestre, priùs autem fœtum vivere animâ sensitivâ. Alii abigentem fœtum post bimestre habent pro homicida, unde hi terminum peremptorium animationis ponunt diem sexagesimum, ipse autem subscribit D. Augustino *lib. 85. qq. quæst. 56* ex communi tunc Philosophorum sententia docenti, formari corpus humanum 45. diebus. Hippocrates medicorum Princeps tradit masculum fœtum pro animæ infusione formari intra 30. dies, fœmineum intra 42. Quam sententiam etiam sequitur Lugo *num. 133.* ex Less. *lib. 2. cap. 9. n. 65.* exponente cum Hippocrate formari masculum die 30. vel 35. vel 45. fœmineum verò die 35. aut 40. aut 45. aut 50. Ego olim in *Animaistica* amplexus sum plurimum recentiorum opinionem nullam dari animarum successionem, ideirò quamprimùm motus aliquis vitalis apparet vitæ vegetativæ, prout contingit circa diem decimum, infundi animam rationalem.

Resp. & dico Secundò. Quando spes est probabilis iudicio medicorum prolem edendam pharmaco non sumpto, tenetur mater sub mortali abstinere, etsi abstinendo sit moritura, quia præceptum charitatis obligat ad vitam exponendam pro salute æterna extremè spiritualiter indigentis, prout hic infans indiget, cum nulla sit spes partus, & Baptismi, nisi mater abstineat à pharmaco. Sanch. num. 17. quam obligationem Lugo num. 133. extendit ad matrem in peccato mortali, consequenter in periculo æternæ damnationis constitutam, hoc enim eam non excusat, sed potius obligat ad procurandum sibi statum gratiæ per contritionem, aut confessionem. Unde non sunt audiendi apud Sporer p. 4. *Theolog. Sacram. cap. 4. num. 713.* Quidam requirentes, ut mater tunc certa sit tum de salute propria, tum de salute fœtus Baptizandi, sic enim nunquam præceptum præfatum charitatis obligaret.

Quòd si deficeret copia confessarii, materque ignara esset contritionis eliciendæ, omnino debitus ordo charitatis eam deobligaret à non sumenda medicina, cum vita spiritualis nequeat prodigi propter salutem proximi cit. Sporer ex Laym. lib. 3. tract. 3 p. 3. cap. 4. num. 4.

231. Quid si æquale dubium sit, an proles viva sit proditura in lucem? adhuc eo in eventu obligat matrem ad non sumendum pharmacum Amic. tom. 5. de *Jure, & Just. D. 36. num. 99.* quia in æquali dubio semper præferendum est bonum æternum proximi bono proprio temporali, quia verò cum morte matris, communiter etiam moritur proles, si moraliter certò sit futura mors matris non

sumpto medicamento, poterit absque scrupulo etiam cum probabili periculo mortis proles, id sumere. Ita ille. Vide dicta à n. 161. ad 166.

Dico 3. cum Sanch. num. 18. Laym. cit. communiter approbata licitam esse pharmaci sumptionem ex qua indirectè secuturus est abortus, quando eo non adhibito medicorum iudicio certò mater cum prole ante partum est moritura. Ratio, quia spes est, quod medicina sit matrem præservatura à morte, proinde etiam prolem, sed cum tali spe habet jus eam sumendi, quin obstet periculù mortis infantis, hæc enim præter intentionem sequitur eo modo, quo in oppugnatione urbis plures innocentes maculantur indirectè.

Ampliat Primam conclusionem Sanch. cit. approbatus à Dicastill. de *Jure lib. 2. tract. 1. D. 10. num. 169.* Sporer num. 712. contra aliquos ad medicinam adhibendam æquè efficaciter sanativam matris, ac interemptricem proles, aliàs desperatæ, quia potius est jus matris in vitæ suæ conservationem, quam proles, cujus partus supponitur desperatus, quod æquè sequatur mors fœtus non intenditur à sumente, sed oritur ex qualitate medicinæ, locò cujus, uti supponitur, non datur medicina alia efficax. Dixi æquè sanativum, nam si directè necaret prolem, & eatenus indirectè sanaretur mater, non posset sumi, cit. Dicastill.

Ampliat secundo num. 19. ad casum, quo pharmacum prorsus est anceps, an sit allaturum proli mortem, aut auxilium, nam ex duobus malis, minus est eligendum, si mater non sumat illud, tam hæc, quam proles supponitur partitura, sed tunc minus malum est sumere phar-

pharmacum anceps, quia dubia mors fert secum vitae prolis, nullam verò ejus omisio: sicuti si mors certa ex incendio, aut fera immineat matri gravidæ, secundum omnes se licitè præcipitat ex loco altiore, ut evadat mortem certam suam, ac prolis, & hanc commutet cum dubio periculo mortis utriusque.

232. Pro praxi sequentia nota, primò, quòd Sixtus V. anno 1588. *Constit. 87. incipiente ad effranatum*, contra eos, qui per se, aut alias personas abortum fœtus etiam inanimati procurant effectu secuto, decernat pœnas omnes quocunque jure decretas in homicidas, vultque iisdem subjacere etiam prægnantes, scienter id facientes. Secundò: eosdem decernit irregulares, non promoveri posse ad officia, & beneficia, promotos ad ea non ministrare; eo ipso omni Clericali privilegio, officio, & beneficio privatos esse, inhabiles in futurum, esto delictum fuerit occultum. Tertiò, easdem pœnas extendit ad procurantes sterilitatem, aut præpedientes conceptiones fœtus, aut quomodolibet hæc consulentes, aut auxiliantes, fœminasque ipsas eadem pocula spontè, & scienter sumentes. Quartò: omnes quosvis, aut quasvis principales, aut socios, vel socias, ad tale facinus committendum opem, consilium, favorem, potionem, aut cujuscunque generis medicamenta scienter dantes, aut consulentes, ipso facto excommunicat excommunicatione sibi reservatâ etiam in Jubilæo, uti & dispensatione super irregularitate, eâ de causâ contractâ.

Nota 2. Etsi Sixtus V. tam severas pœnas statuerit, ejus tamen constitutio à

Gregorio XIV. anno 1591. *Constit. 8. edita, quæ incipit: sedes Apostolica*, est mitigata in punctis duobus. Primum est, quod quisque confessarius approbatus possit à præfato peccato, & excommunicatione illi annexa absolvere, dummodò ad hunc effectum fuerit ab ordinario specialiter deputatus. Secundum est, quòd penitus casset Sixtinam quod pœnas latas in procurantes abortum fœtus inanimati, aut sterilitatem, eamque reduci ad terminos juris, communis, Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini dispositionem. E contra confirmat, ut maneat in suo vigore quoad irregularitatem contractam ex secuto abortu fœtus animati directè procurato, quam extendit ad omnes scienter jussu, consilio, auxilio, aliòve quovis modo cooperantes, ejusque dispensationem sibi soli reservat, etsi delictum nempe homicidium sit occultum, per hoc enim non cessat esse voluntarium.

Hinc hæc irregularitas non est dispensabilis ab Episcopis, præterquam quod etiam Trid. *Sess. 24. cap. 6. de Refor.* excipiat irregularitatem ex homicidio voluntario à potestate dispensandi in irregularitate ex occulto delicto eisdem concessâ.

233. Nihilominus Prælati regulares majores Mendicantes possunt cu n suis subditis etiam in hac irregularitate dispensare, quia Privilegium illis concessum nullibi est revocatum à Tridentino, nec Sixtina sibi reservans jam locum habet, pluresque Pontifices post Tridentinum confirmarunt Privilegia Minorum *ex certa scientia* non contraria Tridentino apud Sporer *num. 715*. Clausula autem

ex certa scientia revalidat Privilegia etiam ante ab antecessore revocata, imò habet vim novæ concessionis apud Suarez de Leg. lib. 8. cap. 18. & 19. In Societate Jesu irregularitas ex homicidio voluntario est reservata Generali, uti & irregularitas ex bigamia, alia autem irregularitates sunt Dispensabiles à Provinciali.

Imò etiam Episcopus, dum non est facilis recursus ad Pontificem, potest dispensare in dicta irregularitate ex abortu, aut homicidio quoad effectum ministrandi in suscepto ordine, nempe urgente necessitate, ne anima periclitentur, præsumitur hæc concessa potestas ex benignitate Pontificis, sicut in simili necessitate docui *num.* 222. posse Episcopum dispensare in voto perpetuæ castitatis, aut Religionis, & in tract. Canonist. de Matr. in impedimentis jure Ecclesiastico dirimentibus, & ita quoad casum nostrum tradit Laym. l. 3. tit. 3. p. 3. cap. 12. in fine, monet tamen tunc Episcopum non simpliciter tollere irregularitatem, sed solum ejus effectum suspensione similem, ut nimirum celebrare liceat interim, dum culpa, & defectus occultus manet, & donec à Papa dispensatio impetratur. Verùm videtur dicendum, ab Episcopo tunc simpliciter tolli irregularitatem sine necessitate recurrenti ad Pontificem, sicut sine tali recursum dispensat in voto castitatis, & impedimentis dirimentibus, ita Sporer *num.* 716 testans in contingentiæ facti quoad casum nostrum in quodam celeberrimo Episcopatu, vicariatu fuisse se vidente practicum.

Nota 3. Quòd Sacerdòs procurator abortus factus animati, aut homici-

dii occulti post peractam in foro conscientia pœnitentiam possit celebrare, aliasque functiones Sacerdotales obire, si ex omissione veniret in suspitionem commiffi tanti seeleris, interim quamprimum fatagat obtinere dispensationem Pontificiam, aut, ut proximè dictum, Episcopalem, cit. Sporer *num.* 717. ex cit. Laym. apud quem Navar. Manual. c. 27. *num.* 239. dat rationem, quia lex naturalis, & divina de defendenda propria fama (multo magis vita, scandaloque cavendo) præstat legi humane abstinendo à saoro in irregularitate.

234. Nota 4. Excommunicationem factò ipso incurri non reservatam ab omnibus directè procurantibus abortum effectu secuto, & cooperantibus quovis modo, de quibus dictum in nota 2. eoque exprimit cit. Greg. §. 7 ubi etsi non sit expressa ipsa pragnans per se sumens potiones abortivas, est tamen expressa §. 2. & 5. camque comprehendit tradunt Filliuc. Bonac. Dicastil apud Sporer *num.* 718. excipientes sceminam metu gravi adactam ad potionem hauriendam.

Dixi 1. Scienter, hinc cum faciens ex ignorantia sive facti, sive Juris etiam culpabili lata, crassa, seu supina, imò & affectata (modò non habeat adjunctam ingentem temeritatem, hæc enim æquiparatur scientiæ) non possit dici scienter facere, ignorantia quovis præfata excusat ab incurfu Excommunicationis, Sanch. lib. 2. Decal. cap. 10. *num.* 38. ex lib. 9. de Matr. D. 7. 2. *num.* 36. at *num.* 40. negat de affectata ignorantia, ut in Decalogo citato loco etiam hanc credit excusare, nisi sit conjuncta ingent-

ingenti temeritati, qualis foret, si quis haberet vehementem suspicionem delicti prohibiti, tunc enim reputatur sciens; ita ille.

Dixi 2. *Effectu secuto*, conatus enim solus non punitur poenâ ordinariâ, idque concedunt omnes in censuris generaliter, praesertim in casu nostro, in quo Sixtus per *num.* 232 in terminis requirit effectum secutum. Verum opportune hic monet Sporer *num.* 719. et si effectum non secuto non incuratur excommunicatione dictorum Pontificum, incurritur tamen casus Sextus reservatus pro Religiosis à Clemente VIII. à procurante (id est studiose quarente abortum) seu auxilium, vel consilium dante etiam effectum non secuto, at cum reservatio sit odiosa criminis, comprehendit actum externum cum effectum, unde si Episcopus reservat sibi procuracionem abortus, probabilissimè procurans sine secuto effectum non incurreret casum reservatum, cit. Sporer contra multos.

Nota 5. Quod per *num.* 232. in Nota secunda Gregorius XIV. absolutio- nem ab Excommunicatione incurâ à scienter procurantibus &c. abortum effectum secuto reservetur Episcopo, & Confessariis, qui specialiter fuerint ad hunc effectum deputati ab Episcopo. Quamvis autem existimet Bonac. apud Sporer *nu.* 720. censeri sufficienter, specialiter deputari eum, cui Episcopus dicit, do tibi potestatem absolvendi ab omnibus casibus, & censuris Episcopo ab homine, aut jure reservatis, ei tamen rectius contradicit Sporer, quia Papa petit, ut in specie habeat hanc facultatem. Hinc.

235. Nota 6. Cum Regulares pol- leant in suos subditos jurisdictione quasi

Episcopali, hos posse ab illis absolvi, si qui, quod avertant superi, incurrerent praefatam excommunicationem, possuntque è suis deputare specialiter, qui ab hac absolvat suos correligiosos, secus saeculares, horum enim Praelati Regulares non sunt locorum Ordinarii.

Nihilominus privilegiatos Regulares habere facultatem absolvendi à dicta excommunicatione Saeculares, etsi ab Episcopo non sint specialiter deputati, probatur ex generali privilegio illis concessò absolvendi ab omnibus Pontifici reservatis extra Bullam Coenae, ergò non est credibile, quòd Gregorius tollens reservationem Papalem voluerit sub confessariis ab Episcopo specialiter deputatis comprehendere etiam Confessarios Regulares: Propositio 12. Alexandri VII. non est contra hoc assertum, loquitur enim de reservatis, quos ipse Episcopus sibi reservat, uti constat *ex declaratione S. Congr. in decret. Clem. VIII.* secus de reservatis per se Pontificiis, quae à Jure, vel Papa potestati ordinariorum permittuntur, Tamb. *lib. 6. in Decal. cap. 2. §. 4. num. 9.* Sporer *nu.* 721. contra Portell. *V. Abortus num. 5.* oppositum ut probabilius sequentem inclinat cit. Sporer.

Nota 7. Reliquas poenas statutas à Sixto in Bulla allegata *num.* 232. in clericos abortum cum effectum procurantes non esse cassatas, sed confirmatas à Gregorio XV. Sunt autem duae, nempe: *privatio* omnis officii, dignitatis, & beneficii; ac *inhabilitas* ad eadem ipso facto incurrenda: proinde secluso scandalo mox, ac patratum est scelus, in foro conscientiae tenetur resignare, nec potest

test novum accipere, nisi quamprimùm impetret dispensationem. Attamen si casus est occultus, est valde probabile ad pœnam utramque contrahendam postulari sententiam declaratoriam, quia privatio licet sit pœna privativa, ejus tamen executio requirit actum positivum humanum e. g. resignationem beneficii, quod foret nimium durum, si ipse reus deberet esse sui vindex, inhabilitas verò est quædam pœna merè privativa non petens ullum actum humanum, quia tamen est consequens ad pœnam privationis, hujus qualitatem induit.

Non est paritas à pœnis aliis privativis uti sunt censura, & irregularitas, quæ incurruntur in conscientia ante declarationem, differentia enim est, quod hæc pœnæ sint per se, seu independentes ab aliis stantes, *inhabilitas* autem ad nova beneficia in nostro casu, non sit posita per se, sed est opposita privationi habiti beneficii, Sporer *num.* 722. ex *Filliuc. tract.* 34. *num.* 79.

236. Nota 8. Fœtum etiã decendialem abortivè ejectum, si det signa vitæ esse conditionatè baptizandum, quia per *num.* 230. probabiliter anima rationalis infunditur in principio animationis. Item procurans sub id tempus abortum est coram DEO homicida, quia probabili periculo perimendi hominem se exponit.

Tertio. Quando quis culpabiliter est cooperatus abortui, si post diligens examen pro loco, & tempore opportunum, adhuc maneat dubium invincibile, an fœtus fuerit animatus animâ rationali, vel non, controversatur, an talis incur-

rerit irregularitatem. Quinquè sententias refert. Sanch. mox citandus à *num.* 38.

Prima sententia affirmat cum Sanch. *lib.* 1. *Decal. cap.* 10. *num.* 43. Molina *de Jus. tract.* 3. *D.* 27. *num.* 4. quia, quando certum est, pro aliquo delicto irregularitatem esse impositam, & est dubium an aliquis id delictum commiserit, censendus est irregularis ex eo delicto; Hoc est fundamentum Molinæ, idque desumptum est *ex C. ad audientiam* 12. *C. significasti* 18. *de homicid.* ubi generaliter expressum est, irregularitatem incurrere in dubio facti circa homicidium, sed hoc ipso, quod sit dubia fœtus animatio, est dubium facti de homicidio, ergo.

Refutatur. Allegata jura nihil favent huic sententiæ, quia illa supponunt, ut certum, non esse dubiam substantiam homicidii, sed circumstantiam ejus, e. g. an Titius id, quod factum esse constat, commiserit. In casu proposito non constat de substantia homicidii, sed est incertum, an sit commissum homicidium, quia est incertum, an fuerit homo, proinde non constat de corpore delicti, prout loquuntur jura.

Secunda sententia negat incurrere: ita Gibalin. *de Irregular. cap.* 4. *quæst.* 1. *num.* 26. Bardi *de Conscientia Discept.* 6. *cap.* 7 §. 4. *num.* 2. & 3. Tamb. *de Centur. lib.* 10. *tract.* 4. *cap.* 5. *num.* 15. Didacus Hurtado ad propositiones Innocentii XI. *in Theolog. Reformata Dissert.* 21. à n. 58. Ratio est ex recepto apud omnes Canonistas principio: Irregularitas non contrahitur nisi in casibus in jure expressis; Regula hæc desumitur aper-

apertè ex C. Is qui 18. de Sent. Ex-  
comm. in 6. sed quod in casu dubiæ ani-  
mationis fœtus procurans abortum sit ir-  
regularis, nullum jus exprimit, allega-  
ta enim Capitula pro affirmativa senten-  
tia supponunt, ut certum, occisum per  
abortum hominem, & proinde in dubio,  
quis sit homicida, statuunt, quod du-  
bium, an ipse fuerit occisor, debeat se ge-  
rere pro irregulari. Ex his ruit fundamen-  
tum primæ sententiæ.

Resp. igitur ad controversiam nega-  
tivè cum secunda sententia.

237. Dices ergo is, qui à die con-  
ceptionis quinquagesimo est author abor-  
tûs, dum nequit discerni in ejecto fœtu  
genus; seu, an sit masculus, aut fœmi-  
na, non sit irregularis; probatur conse-  
quentia, quando est sexus dubius, est  
dubia animatio, sed in casu dubiæ ani-  
mationis author abortûs non est irregularis  
per proximè stabilita, ergo nec author  
abortûs dubitans de sexu fœtûs. Major  
probatur; est probabilis opinio Medico-  
rum, quòd fœmina non animetur ante  
diem octuagesimum, sed hoc ipso, dum  
sexus nequit discerni, est dubia animatio.  
Ob hæc concedit illatum Bardi cit. *Di-  
scept. 6. cap. 7. §. 6. Mendo in Epi-  
opin. Verb. Reservati casus num. 27.*  
videtur tamen sibi contrarius, nam  
*Verb. Irregularitas num. 16.* dantem  
causam abortui, ac dubium de fœtûs ani-  
matione facit irregularem.

Confirmatur. Nullum est funda-  
mentum præsumendi esse masculum, con-  
sequenter animatum, nisi lineamenta do-  
ceant, aut motus; idcirco est praxis in  
judicio criminali, in quo est melior con-

ditio negantis, quàm affirmantis delictum  
sine certa probatione, in dubio, an fœ-  
tus fuerit animatus, author abortûs, non  
ordinariâ, sed extraordinariâ ac mitiore  
pœna punitur, ita cit. Mol.

Hanc opinionem impugnat optimè  
Hurtd. *num. 63. & seqq.* prænotans Bar-  
dium confundere dubium, an fœtus sit  
formatus, aut adhuc informis cum dubio  
de qualitate sexûs, id est, an sit masculus,  
aut fœmina, hæc autem non bene con-  
funduntur, quia iudicium legitimum,  
an fœtus per abortum ejectus fuerit ani-  
matus, formandum est ex formatione  
fœtûs, si enim constet de partibus magis  
conspicuis, quocunque tempore constet  
(etsi aliæ minutiores, quibus est accen-  
senda distinctio sexûs, nondum valeant  
discerni in tantillo corpusculo, quod sæ-  
pè est instar apiculæ) debet censer, quòd  
vixerit, idcirco si fœtus de Quinquagesi-  
mo formatus apparet quoad præcipua  
membra, etsi distinctio sexûs non cerna-  
tur, ejus animatio præsumitur; Ratio,  
quòd omnis fœtus etiam fœmineus ante  
diem quinquagesimum perfectè sit forma-  
tus. Jam sic; aut sequeris sententiam  
Augustini de qua *num. 230.* aut eorum,  
qui pro viri formatione requirunt dies 40.  
pro fœminis 80. si primum, nihil intererit  
dubitatio de sexu, si secundum, præsumi  
debet sexus masculinus, atque adeò fa-  
cta ejus animatio circa diem 40. aliàs si  
præsumptio staret pro fœmina, etsi cete-  
teræ partes principales sint per se forma-  
tæ, pro qualitate sexûs, qui est pars ex  
minutioribus, duplo ferè longiore tem-  
pore formaretur, quàm partes principa-  
les, quod non est credibile. Est ergo  
irregularis procurans abortum fœtûs, cu-  
jus

jus principales partes formata discernuntur.

238. Dubium est, an sicut ex communi sententia, ut incurratur excommunicationis, praequiratur non modò juris eam prohibentis scientia, sed etiam ipsius Excommunicationis, apud Sanch. *lib. 9. de Matr. D. 32. nu. 12. & 13.* quam doctrinam extendit *num. 15.* ad reliquas censuras, ita irregularitas ex delicto, qualis est annexa procurato abortui, non contrahatur, nisi sciatur jus eam annectens, & insuper ipsa irregularitas pœnalis. Resp. affirmativè cum Sanch. *num. 17. post med. & 21.* quia est affinis censuris, nec imponitur nisi contumaci contra Laym. *lib. 1. tract. 4. p. 1. cap. 5. num. 8.*

Dubium 2. An procurans abortum, si agat pœnitentiam ante secutum abortum post applicatam causam ex fine abor-

tiendi, secuto abortu incurrat Excommunicationem, & irregularitatem, quam Sixtus V. fulminat in procuratores abortus, & Gregorius XIV. confirmat per *num. 232.* Possit talem pœnitere, & absolvi ante tempus abortus tradit Mend. cit. *num. 27. & 45.* cum quo, & aliis, Respond. ad dubium, neutram pœnam contrahere. Ratio, quia vel contraheret eam ante abortum, vel post; non ante, quia nondum est effectus secutus; non post, quia jam peccato directè absolutus, nec tenetur illud iterum confiteri. Unde nullius casus reservatio incurritur postulans pro sui incurfione effectus secutionem, si ante hanc Reus agat pœnitentiam. Apprimè Casus hic notandus est in obviis autoribus non reperibilis.

\* \*

\*

### §. XXX.

*An eventus prævisti in ebrietate imputentur tum bibenti, tum largiùs vinum propinanti, aut apponenti? ubi, an licitum inebriare se, aut alterum ad vertendum grave malum, aut ad expiscanda secreta ex Legatis Principum, aut ad fugiendum ex carcere? an incarceratus possit custodes vino sopire?*

239. **U**Na ex causis indirectis malorum eventuum, eorumque innumerorum est ebrietas, de quibus locus opportunus est agendi hìc, egimus enim hucusque à *num. 38.* de voluntario indirecto, sive in causa,

ejusmodi est voluntas se, aut alterum inebriandi cum prævisione eventus mali ex ebrietate secuturi.

Pro fundamento dicendorum omnium primò prævittenda est definitio ebrietatis, Secundò, quotuplex ea sit. Tertio,

tiò, quale peccatum. Definito ebrietatem cum Gobat *Theolog. Juridico-Moral. cap. 5. num. 9 & 16. Quod sit excessus in potu privante usu rationis.*

Est duplex; materialis, & formalis: Formalis Theologicè talis est excessus in potu inebriante voluptatis causâ, donec rationis usus adimatur; materialis verò dicit excessum privantem usu rationis factum ex non voluptate, sed alio fine e.g. ob amicorum adhortationem. Malitia ebrietatis formaliter est in eo sita, quòd quis potùs voluptatem tanti faciat, ut ob eam saltem indirectè velit se privare usu rationis, absque eo, quòd in ejus sit potestate ullo medio illum brevi recuperandi Gobat *c. 6. num. 36.*

Tam formalis, quàm materialis (nisi hæc fiat ex magna causâ, ut patebit) est peccatum mortale, ita omnes Theologi moderni. Ratio, quòd privet non tantum usu rationis, ut somnus, sed etiam potentiâ proximâ utendi ratione ad longum tempus, sed hæc potentiâ se privare ad longum tempus, est peccatum mortale, cum non sit dominus ejus. Assertio est de fide, omisissis aliis testimoniis, sufficiat Pauli 1. ad Corint. 6. attestatis; *Ebriosos Regnum DEI non possesuros.*

Obiter hîc advertendum; quòd licet vox *ebriosus* significet habitum hominis, seu consuetudinem se inebriandi, esto hîc, & nunc non sit ebrius, vox verò ebrius significat actum, id est, actualem ebrietatem, attamen Cornelius à Lapide ad citatum locum Pauli ait, quòd ibi vox græca significet ebrium. Et ideò ebrietas etiam unica, est peccatum mortale,

oppositum sentiens non foret hæreticus, sed temerarius, quia in re gravi dissentiret ab universis modernis Theologis, Gobat *cap. 6. num. 6. junctio num. 12.*

Ebrietas non est ideò mortalis, quia privat usu rationis, & aliàs mortaliter peccarent pueri ex petulantia in Gyrum se tamdiu rotantes, donec vertigine correpti fiant penitus rationis impotes, quòd nullus asserit, quia privatio hæc est brevis; ideò ergo mortalis est, quia longo tempore ebrius se privat potentiâ proximâ usûs rationis, id est, ita, ut non sit in ebrii potestate ullo medio adhibito recuperare brevi usum rationis, secùs fit in somno, potest enim ab homine constituto, aut machina strepitum editura excitari, Gobat *num. 36.*

Quale autem sit censendum longum tempus in hac materia, nec alii, nec ipse determinat, sed *num. 42.* solum dicit, fore longum tempus unius horæ, brevi illud, quo semel Pater & Ave decurritur allegans pro hoc à pari Lugo *de Just. D 8. num. 21.* negantem, quòd furans summam magnam peccet mortaliter animo eam post quadrantem restituendi, dummodò sit moraliter certus de securura restitutione, ac nullum damnum domino obventurum.

Quæ autem condiciones sint necessariae, ut eventus mali in ebrietate securi imputentur ad culpam constat ex *num. 40.* præsentis dissertationis. His pro fundamento stabilitis, descendo ad Quæstiones particulares.

240. Q. 1. An ebrietas materialis etiam praevisa aliquando excusetur à culpa; materialis, inquam, quia de formali omnes debent negare, cum nulla sit

excogitabilis circumstantia, ob quam concessum sit ex sola voluptate haurire, usque dum ratio exturbetur. Resp. affirmativè cum Less. *lib. 4. de Just. cap. 3. a num. 37.* Dicastill. *de Just. lib. 1. D. 3. num. 155.* Gobat. *cap. 18. n. 3.* contra Cajet. *2. 2. quest. 150. a. 2.* Probat, potum ex necessitate sumere, ad quem sequitur etiam diuturna mentis privatio ex causa huic damno proportionata caret omni culpâ, sed datur talis necessitas, & causa proportionata huic damno, ergo. Major probatur, temperantia permittit tantum cibum, & potum, quantum requirit necessitas vitæ præsentis, sine qua scilicet nequit vita, & valetudo secundum officiorum exigentiam conservari: & malitia ebrietatis essentialiter in eo consistit, quod bonum usus rationis sine causa proportionata perdat, ergo si detur necessitas sumendi proportionata huic damno, sumptio carebit omni culpâ contra temperantiam, probata majori probatur minor per sequentes illationes.

Infero 1. Ut mortem evitem, quam quis mihi minatur, nisi ebibam poculum, licitè ebibo, quamvis prævideam me fore ebrium, ita C. C. D. D. contra Cajetanum. Ratio, quia amissio usus rationis etiam diuturna est minus malum, quam amissio vitæ, ergo illa ad hanc vitandam honestè eligitur. Confirmatur juxta communem DD. contra Dominic. Solum est licita brachii abscissio propter corporis conservationem, ergo etiam est licita poculi evacuatio cum prævisâ inebriatione ad vitandam mortem; nam privatio usus rationis est minus malum brachii abscissione.

Infero 2. Etiam licere in casu, quo

nisi ebibam, alter me aggressurus est gladio, CC. Less. & Dicastill. quia defendendo me expono me periculo vitæ, quod est gravius malum, quam perdere ad tempus usum rationis.

Infero 3. Gobat. *num. 9.* liberans à peccato famulum, qui graviter verberetur ab hero suo, nisi evacuet Scyphum inebriativum, quia immunitas à verberibus est de genere bonorum vitæ, sed ad hujus conservationem licitè quis se inebriat, ergo etiam ob immunitatem gravium verborum, seu fustigationis.

241. Qu. 2. An licitus sit vini haustus inebrians propinatus à Medico ad curandum morbum aliter incurabilem, & an hic debeat esse Lethalis? Resp. ad 1. affirmativè cum Less. *num. 13.* Dicastill. *num. 117.* Reginaldo *lib. 22. num. 55.* citante alios, Gobat *num. 14.* contra Sylvium. Ratio, quod per *num. 240.* non sit contra temperantiam tanta potus sumptio, quantum exigit vita, & valetudo secundum officiorum exigentiam, sed vita, & valetudo nequeunt convenienter servari cum morbo, ergo non est contra temperantiam tanta potus sumptio, quantum exigit morbi expulsio. Notat autem Dicastill. ebrietatem ut talem, seu sub ratione ebrietatis nunquam esse licitam, nam quâ talis dicit privationem usus rationis, quæ est medium profus inutile ad morbum pellendum, est igitur potus vini sub ratione qualitatis sanativæ e. g. ratione caloris adversus venenum frigidum, quale est teste Less. *num. 13.* Opium, Solanum, Cicuta, Hyoscymus. Verùm Dicastilli assertio universaliter non habet locum, ut brevi patebit

ex 242. Corollar. 4.

Resp.

Resp. ad 2. Quòd Tolet. *lib. 7. cap. 61. num. 4.* Laym. *lib. 3. Sect. 4. num. 5.* & alii loquantur præcisè de infirmitate, Gobat *num. 15.* rectius non requirit Lethalem morbum, sed gravem, quia secundum regulam S. Th. 2. 2. *quæst. 33. a. 6.* ea, quæ sunt ad finem, regulanda sunt secundum exigentiam finis, sed finis non exigit, ut malum leve, puta morbus non gravis, curetur malo gravi, quale est haustus inebrians, è contrà hic est proportionatus de pellendo morbo gravi.

Sed estne haustus inebrians licitus ad pellendum morbum per vomitum, aut si via alia sit curabilis, quam per ebrietatem. Resp. ad utrumque negativè; Pars prima est S. Th. 2. 2. *quæst. 150. a. 2. ad 3.* quia vomitus potest procurari aliis medijs e, g. aquâ tepidâ, at in hujus defectu esse licitum Sylvest. *V. ebrietas q. 3. num. 4.* Gobat *num. 13.* Pars secunda sequitur ex prima ex Tolledo, tunc enim vini potus inebrians non est necessarius.

Colligo ulterius 1. ex Less. *num. 13.* caret culpâ exhaustus calix inebrians ad præcavendum gravem morbum, dum alia media æquè commoda deficiunt, ut in subito timore pestis, Gobat *num. 16.*

Colligo 2. Id ipsum in eo, qui alium potum adhibens pateretur gravem læsionem sanitatis Medicorum judicio, Gobat *num. 33.* cum Cajet. 2. 2. *quæst. 150. a. 2.* Baldell. *lib. 5. D. 30. n. 25.*

242. Colligo 3. Quando sitis gravis nequit aliter sopiri, quam largiore vini haustu, ut in mari, aut ubi vina fortia crescunt, fas est haurire, quantum est necesse, etsi ebrietas sit secutura Gobat *num. 34.* ex Antonio Escobar in *Theo-*

*log. Moral. tract. 2. Exam. 24.* Baldell. cit. Ratio sequitur ex *num. 240.* finis enim intrinsicus potus est naturæ conservatio, & valetudo, ergo licitè assumitur ut medium necessarium adversus sitim valetudinis hostem, si aliter averti non potest, nisi per ebrietatem, hæc enim per accidens, seu præter intentionem sequitur.

Colligo 4. Esse illicitum haustum vini inebriativum, Primò, ad pellendam Melancholiam seu mœrorem, quia ebrietas est malum gravius mœrore, Gobat *num. 18.* ex Aug. *lib. 22. contra Faustum cap. 43.* remedium illud reprobante in Loth. qui largiùs bibit, ut mitigaret tristitiam teste Chrysof. *Homil. 44. in Genes.*

Secundò est illicitum ad fortiùs tolerandos dolores ex abscissione e. g. pedis Dicastill. *num. 117.* reddens rationem, quod potus non sit institutus, nisi ad vitæ conservationem, ergo eatenùs est licitus quatenus ad eam conducit, sed non conducit ex naturæ institutione ad leniendum dolorem, prout id constat à posteriori, aliàs supplicio afficiendis, præsertim dum Rei vivi in rotam aguntur, esset licitum eos inebriare: approbat Gobat *num. 17.* post Tanner. *tom. 2. D. 4. quæst. 5. num. 54.* Prior rectè limitat cit. loco & *num. 39.* doctrinam Dicastill. ut si ex apprehensione doloris, adeò graviter crederentur commovendi humores, ut ex iis mors, aut morbus gravis sequeretur, aut præ pusillanimitate moriturus putaretur, tunc enim privatio usus rationis esset utilius ad præpediendam apprehensionem, & pusillanimitatem, ergo falsum est, quòd ebrietas ut talis non possit esse un-

quam remedium ad fanitatem conducens.

Tertiò. Esse illicitum evacuare potulum inebrians ex fine invitandi graves inimicitias, quas quis incurret, nisi pares facit haustus, ad quos provocat alter. ita Gobat *num.* 10. Contra duos eruditos non nominatos Theologos, qui oppositum senserunt; Ratio Gobati est, quòd opinio istorum sit aliena à Communi sensu hominum, & simul etiam periculosa, plures enim sibi imaginarentur, subesse Odii periculum, ubi tale non esset.

243. Qu. 3. An super, & quantum sit peccatum provocare ad haustum inebriantem. Si provocatio aliquando est licita, sequitur, ebrietatem non esse ex illo genere actionum, quæ nunquam possunt honesta evadere. Quadrupliciter potest quis provocare, uti observat Gobat, *cap.* 13 *num.* 13. *Theolog. Juridico-Moral.* Primò directè, & formaliter intendendo ebrietatem, desiderando alterius ruinam spiritualem; seu idè, quia est ebrietas illi mala spiritualiter, hoc est Dæmonum, & formale odium. Secundò. Directè, at non formaliter (nempe ex intentione ebrietatis quæ prævidetur culpabiliter incurrenda) eu non idè, quia illi est mala, sed quia provocanti est commoda. Tertiò. Directè intendendo ebrietatem materialem in circumstantia, quam provocans prævidet securam sine peccato provocati. Quartò. Indirectè, ut si quis suo exemplo det alteri occasionem ebrietatis à provocante non intentæ.

Resp. Certum esse primò, quòd provocans primo modo peccet mortaliter

semper, quia directè scandalizat scandalò procedente ex formali odio.

Certum esse secundò, quòd reliquis tribus modis provocans pro se loquendo scandalizet activè in materia gravi, & idè non sine reatu mortali. Indirectè quidem Quartò modo, directè verò secundo, & tertio modo; nec refert, quòd tertio modo provocato non imputetur ad culpam, quia provocans scit ebrietatem etiam materialem habere objectivam turpitudinem temperantiæ, ac sobrietati oppositam, ergò nequit ab ejus malitia excusari.

Certum esse tertiò. Quòd quarto modo possit fieri provocatio sine peccato, ita omnes teste Gobat *n.* 18 & 19.

Difficultas devolvitur ad secundum, & tertium modum provocationis, utrum sic provocans valeat aliquando liberari à culpa, licet intendat directè ebrietatem.

Resp. Itaque tribus posterioribus modis posse contingere provocationem sine omni culpa, nempe quando provocatio est medium unicè impediendi malum gravius ebrietate, ad quod alter est obfirmatus, ita communior teste Tannet, *tom.* 3. *D.* 2. *quæst.* 6. *dub.* 8. *num.* 102. contra Cajetanum, & alios relatos à me superius *num.* 201. ibique à *num.* 203. plenè satisfactum est, ac fuisse ostensum, quod e.g. in nostra hac quæstione suadens ebrietatem, aliud nil suadeat, quam minoritatem, id est, diminutionem offensæ divinæ, sed determinato ad majorem offensam divinam, à quâ nequit alter impediti, est licitum suadere ebrietatem, quando hæc est minus peccatum, quam

quàm sit illud, ad quod alter est obfirmatus.

Ex hoc principio deduco 1. cum Less. *lib. 4. cap. 3. num. 33.* Baldell. *Theolog. Moral lib. 5. D. 30. num. 27.* contra Amag. *tom. 1. D. 38. num. 23.* Dicastill. *lib. 1. D. 3. num. 146.* Gobat. *num. 26.* ubi tamen fatetur priorem opinionem speculative, ac practice esse tutam docentem, fas esse provocare ad haustum inebriantem illum, qui machinatur proditionem castris aliâ viâ non impedibilem, Ratio est, quod inebriatio privans usum rationis sit malum minus malo proditionis, sed fas est provocare ad minus malum ut diminutivum majoris, sive minus sit in hoc inclusum per *num. 203.* sive non sit inclusum per *num. 204.*

244 Deduco 2. Licita est inebriatio eorum, qui obstant, ne urbs sub rebellibus constituta redeat ad suam Principem, cit. Less. Gobat, *num. 28.*

Deduco 3. A fortiori licere proditores invitare, eosque adhortari ad bibendum vinum fortissimum, cujus vim ipsi ignorant, hoc enim etiam Dicastill. cit. cum Laym. *lib. 3. Sec. 4. num. 6.* admittunt, quia cum illi non sint peccaturi, non invitantur ad peccatum, sed duntaxat intenditur usus rationis privatio, quæ licite illis auferri potest, siquidem vita ipsa est auferibilis.

Deduco 4. Captivum, quia metuit periculum mortis, mutilationis, aut molestum carcerem, licite propinare generosum vinum captivantibus, cujus vis ignoratur, ut postquam fuerint ebrii dilabi possit, ob datam rationem. Hoc usus est medio quidam Græcii 1701, Captus & ad curiam positus ob furtum noctur-

num ex thesauro Aulico qui nocte S. Martini è Carceribus feliciter profugit. Rogavit Custodem carceris, ut admitteretur ad manducandum cum eo anserem, misit pro vino generoso, eoque copioso, hausit largius custos, captus observavit, ubi penderent claves tum ad solvendo compedes, tum ad carceris januam, interea est vino Custos sopitus, captus arripit claves, omnium primò se liberat compedibus, ne exeundo strepitum ederent, deinde vadit ad januam, eam reseravit, profugit. Seriem hanc ipse eodem anno narravit Tyrnaviæ per eam tendens in Poloniam.

Deduco 5. Præfatum captivum etiam posse propinando intendere custodis ebrietatem Less. *num. 35.* Gobat. *num. 29.* mala enim, quæ prudenter timet, sunt graviora, quàm sit malum amittendi usum rationis.

Temperanda est proxima deductio Quarta, & Quinta, nempe quòd non procedat, si captivus juravit, se non fugiturum, uti nec si carcer est justus, potest procurare ebrietatem etiam materialem (unde cum captivus ille Græcensis fuerit incarceratus justè, propinando generosum vinum custodi, ut eo sopitur possit reserare compedes, & carcerem, seque liberare, fuit causa dolosa, & injusta ebrietatis, saltem materialis, & periculi gravis mali imminentis custodi) quia licet non causaret formale peccatum in custodibus, esset tamen causa dolosa, & idèò injusta, tum peccati mortalis, tum exturbatæ mentis, tum sæpe mortis, aut ulterius gravis mali, quod ordinariè imminet custodibus occasione talis fugæ: quale non imminet, ex fractione carceris, nec fra-

fractio carceris est tantum malum, quantum custodum mentis alienatio, ergo licet, dum est carcer justus, nequit intendi ebrietas dolo, & injustitiâ interveniente, potest tamen carcer licetè frangi Gobat. Si autem carcer est injustus, isque permolestus non carens periculo mortis aut alterius gravis mali, possunt custodes inebriari, ut exinde fiat fuga, quia licet interveniat dolus, quia tamen cooperantur iniquæ detentioni, possunt licetè inebriari, Gobat. *num. 30 & 31. c. 13.*

245. Qu. 4. An ex amicitia, aut urbanitate invitans hospitem ad haustum prævidens ex illo inebriandum excusetur à culpa, dum ebrietatem non intendit. Resp. negativè, quia communior, veriorque opinio tradit esse illicitam seriam invitationem ad id, quod alter non potest sine peccato etiam materiali præstare, suadens enim utitur altero velut instrumento ad malum faciendum, Lug. *de Pœnit. D. 16. nu. 155.* Laym. *lib. 1. tra. 4. cap. 10. num. 3.* quos sequitur Gobat *Theolog. Juridico-Moral. cap. 13. num. 19. & seq.* extendens ad eum, qui ex se sine invitatione est se inebriaturus, sicut iidem negant posse paratum ad cœnam die Jejunii invitare ad cœnam, & quidem licet ignoraret esse Jejunium; si enim ignorantia ex parte invitati excusans à peccato excusaret etiam invitantem, tunc posset illi sine peccato mortali die Jejunii carnes apponere, amentem ad libidinem incitare, cit. Laym. *Taner. tom. 2. D. 4. quæst. 8. dub. 7. nu. 127.* Pal. *p. 1. tractat. 3. D. 1. p. 24. §. 2. num. 14.* Sanch. *lib. 1. Decal. cap. 7. num. 15.* Offerens enim occasionem est causa hujus singularis peccati. Oppo-

fitum de invitatione ad cœnam non esse improbabile affirmat Tamb. *lib. 5. Decal. cap. 1. §. 4. num. 72.* inclinatur etiam Lugo *de Just. D. 25. num. 234. & seqq. cum aliis.*

246. Qu. 5. An consiliarii, legati Principum possint licetè inebriari ad expiscanda secreta? Resp. secreta posse esse triplicis generis. Primò, quæ Salvâ conscientia revelari non possunt. Secundò, quæ possunt, sed citra revelandi obligationem. Tertiò, quæ legati tenentur manifestare. Inebriantes ad expiscanda duo primi generis, peccant mortaliter non solum contra sobrietatem, sed etiam contra justitiam, è contra immunes sunt à peccato provocantes ad inebriandum, ut resciantur secreta, quæ Legati pendere debent, nam horum notitia est plurimum necessaria pro bono communi Principis, ad quem mittuntur, ergo ex fine hæc rescindi, dum aliter nequeant resciri, licitum est propinare legatis etiam usque ad ebrietatem ob rationem ad *num. 243. & seq.* Ratio verò primi, & secundi est, quod revelatio secretorum, quæ salvâ conscientia non valent prodi, sit contra Justitiam, ea verò, quæ prodi possunt, elicere mediâ ebrietate sit calliditas, & fraus Justitiæ etiam repugnans, ita Gobat *cap. 13. num. 55.* quòd verò peccet etiam contra sobrietatem, discas ex disputatis *num. 72.* ubi egi de scandalo directo, ac indirecto.

Hic interest scire etiam practicè, quomodo is, qui est causa ebrietatis alienæ, debeat confiteri peccatum suum. Si enim inducit directè, tunc si intendit formaliter ruinam proximi (qualis inductio est diabolica) peccat peccato specialiter

ciali contra Charitatem, deinde specie peccati, in quo inducit proximum per *num. 71.* si inducit directè intentendo ruinam non formalem, sed materialem, probabilius non peccat peccato speciali contra charitatem, at bene peccato speciali opposito illi virtuti, quam violat inductus, proinde in nostro casu contra Sobrietatem per *num. 72.* Is autem qui indirectè solum causat ebrietatem, an incurrat speciale peccatum Sobrietati oppositum, proinde in confessione explicandum, vel non, affirmativa, & negativa sententia fundamenta protuli *cit. num. 72.* dixique, utramque esse in praxi tutam, negativam confessarii expeditionem, affirmativam probabiliozem.

Unde rectè colligit Gobat, *nu. 61. & 62.* quod datà etiam opinione docente, eum, qui inducit directè in ebrietatem non formaliter, sed materialiter in sensu exposito *num. 71.* non peccet directè contra Sobrietatem, nihilominus non rectè exponeret peccatum dicendo, incitavi alterum semel ad peccatum mortale, sed est exprimenda species peccati e.g. ebrietatis in nostro casu, quia inducens sic peccat saltem indirectè contra Sobrietatem, quam speciem debet exprimere juxta *Trid. Sess. 14. c. 7.* E contra causa indirecta ebrietatis peccat probabiliter duntaxat contra charitatem, idcirco non obligatur confiteri speciem peccati, quod Scandalizatus committit, juxta sententiam Lugo relata *num. 72.* *Tanner. tom. 3. D. 2. dub. 6. num. 98.* estque aperta sententia *S. Th. 2. 2. quest. 43. a. 3. ad 2. tradentis,* quod is, qui opere non malo, sed speciem mali habente alterum scandalizat, peccet peccato

*R. P. Karch. Diss.*

scandali absque alio peccato. Dicto hoc versu Gobat expressit in editione veteri *num. 79. & seqq. 2.* *Dicastill. de Pœnit. D. 9. num. 271.*

*247. Qu. 6. An ij,* quibus secreta sub mortali revelari vetita commissa sunt, si se inebrient advertenter, aut fiant temulentis, seu semiebrii præter peccatum ebrietatis peccent peccato infidelitatis mortali, aut non mortali pro qualitate Secretorum, quæ vulgantur.

Ratio universim affirmandi est ex *Proverb. 31. nullum secretum, ubi regnat ebrietas.* Ad hunc locum *Cornel. à Lapide* probat fuisse olim, ac etiamnum consuevisse inebriari Legatos ad extorquenda vinoso equuleo arcana. Ergo se exponunt periculo Legati, ne violent fidelitatem Principi suo juratam.

Ratio verò negandi, quod ebrii non mereantur fidem, sed æquiparentur furiosis, phreneticis, ac infantibus conformiter *C. venter dist. 35.* docentque passim *DD. nominatim Covarruv. in Clementinam. Si furiosus [de homicidio] part. 3. num. 4.* sed infantes, furiosi &c. non merentur fidem; hinc si ebrius de se, aut altero narrat Capitale crimen, Judex non potest ex hac præcisè narratione procedere ad torturam, *Mascard. de Probat. quest. 7. num. 57.* imò nec ad inquisitionem specialem, juridicumve examen, talis enim confessio non parit infamiam per se loquendo, nisi sit adminiculata, seu aliis adjuvetur conjecturis, sed *C. Inquisitionis §. 2. de accusat.* *Jul. Clar. in Pract. Crimin. quest. 5. & 6.* non permittit inquisitionem specialem, sine pravia infamia personæ inquirendæ, pro ut totus mundus observat, idcirco ipse

*Aa*

*Cl-*

Clarus cit. negat posse inquiri specialiter etiam de crimine hæresis, licet enormissimo, nisi præcedat saltem vehemens suspicio, proinde ut confessio ebrii admiculata sufficiat ad inquisitionem specialem, conjecturæ illæ, sive indicia, non debent esse levia.

248. Resp. negativè de iis sive ebriis, sive semiebriis, qui experienciâ docti sunt, quod nec sponte, nec interrogati solent vulgare arcana, tunc enim non sunt rei ebrietatis qualificatæ, sed simplicis, sive sine admixto alio crimine, quia tales se non exponunt periculo peccati contra fidelitatem, tales plerosque in Germania esse experientia quotidiana docet teste Gobat *Theolog. Juridico. Mor. cap. 19, num. 58.* E contra idem à *num. 55.* ex opposita ratione damnat, qualificata ebrietatis, eos qui sive sponte, sive interrogati solent propalare secreta, quoties se exponunt ebrietatis periculo, nisi huic sufficienter prius occurrant.

Contra hoc non obstat ratio negandi, etsi enim ebriorum dicta non mereantur fidem, illis tamen à multis creditur, ab aliis arripitur occasio inquirendi, ac tandem per varias scrutationes devenitur ad fundum veritatis.

Eadem tamen ratio negandi rectè probat nullum sine temeritate posse credere vera esse illa, quæ ebrii de se, aut aliis effutiunt, cum ipsorum dicta sint instar dictorum prolatorum à furiosis, infantibus, aut in somno, sed horum dicta nemo potest judicare sine temeritate esse vera.

In illo proverbio *in vino veritas*, fortè veritas non sumitur pro ipsa veritate objectiva, sed pro veritate veracitatis,

ebrii enim etsi sapissimè falsissima garriant, non tamen solent mentiri, cum non loquantur advertenter contra mentem. Deinde frequenter secreta observantur obmerum, hunc aufert vinum, quo sublato callidi scrutatores possunt elicere veritatem, aut sponte dum sunt proximi ebrietati de facti secreta detegunt; & in hoc sensu est sæpè *in vino veritas*: & in isto casu dictis ejusmodi potest fides certa non rarè haberi sive de se, sive de aliis referant.

249. An saltem liceat suspicari sine temeritate veritatem narratorum ab ebriis, etsi scelus de se, aut alio effutiant? an homo privatus valeat explorare veritatem per media licita? & si audiens grave scelus, narret aliis id ipsum, an mortaliter peccet? Respond. ad 1. Regulariter negativè, Gobat *num. 63.* quia temeraria est suspicio innitens levibus indiciis ita omnes cum S. Thoma 2. 2. q. 6. a. 3. in *Corp.* sed per *num. 247.* Dicta ebriorum sunt levia indicia, siquidem idem non merentur. Dixi *regulariter*, quia si simul concurrant variæ circumstantiæ, suspicio de veritate dictorum potest esse prudens, proinde non temeraria. Exemplum hujus legas apud Gobat *n. 64.* An autem tunc judex possit instituere inquisitionem specialem sufficienter colligitur ex allatis in ratione negandi.


Nihilominus censet Gobat *nu. 68.* si quis in ebrietate absolute dixerit se fuisse instigatum e.g. ut occidat Principem, postquam evaporavit vinum jure facturum judicem, si talem ad se citet, eumque Juridice examinet, at neganti dictorum suorum veritatem, credat, plus enim fidei meretur sanus, quàm insanus, sive furio-

uriosus, arg. L. qui testium § nec fu-  
riosus ff. de testibus. Poterit tamen de-  
inceps illi saltem sine ejus infamia magis  
invigilari. An autem, cum in exceptis  
crimibus ordo Juris cesset, possit in si-  
mili crimine specialiter in talem inquiri,  
non videtur Gobat improbare.

Resp. ad 2. Si id faciat ex fine bo-  
no, cum nulli noceat, cum non fore reum  
culpæ, Gobat num. 69.

Resp. ad 3. Communiter negati-  
vè, dummodò narrans exprimat fuisse di-  
cta in ebrietate, quia communiter inde  
non oritur, nisi levis suspicio, prævidens  
tamen, ut rectè monet Gobat num. 70.  
inde nascituras graves diffidentias, ex-  
probrationes &c. delinqueret  
graviter.

\* \*  
\*



§. XXXI.

Continuatio de effectibus in ebrietate præcognitis.

250. **Q**U. 1. An & quantæ culpæ  
Reus est caupo apponens ad  
eum divertentibus vinum ad inebriandum  
sufficiens, præsertim iis, quos novit non  
egressuros, nisi ebrios? quid si dubitet  
de aliquorum inebriatione? & an debeat  
sub mortali impedire ebrietatem, quam  
prævidet secururam, nisi vini amphoras  
iis tollat.

Resp. ad 1. Nullius, si non præ-  
videant caupones periculum ebrietatis,  
quia appositio vini est actio de se indiffe-  
rens, at prævidentes periculum peccant  
mortaliter, nisi gravis causa eos excuset,  
ut si probabiliter timeant, nè efficiantur  
contumeliis, aut nè notabiliter imminua-  
tur affluxus hospitum, ita Baldell, *Theo-  
log. Mor. D. 30. num. 22.* Sanchez *lib.*  
*1. Decal. cap. 7. num. 33.* Pal. *to. 1.*  
*tract. 6. D. 6. p. 14.* meritò negantes  
sufficere pro excusatione defectum lucri,  
quod acquirerent ex largiore potatione,

Ratio omnium est, quod charitas non  
plus obliget ad non ministrandam proxi-  
mo materiam mortalis peccati, quam ut  
hunc graviter lapsum corrigamus, sed  
negligere correctionem proximi est mor-  
tale, nisi gravis causa excuset, ergo eti-  
am ministrare materiam nempe vinum pro  
mortali ebrietate est mortale, nisi gravis  
causa excuset, est autem causa sufficien-  
ter excusans si prudenter metuant verba  
contumeliosa, aut notabilem defectum  
hospitum.

Resp. ad 2. Fore reos mortalis (si  
causa gravis non excuset similis proximè  
allatæ) si copiam vini inebriantis, dent  
talibus, quos sciunt communiter abire  
ebrios. Ratio ad primùm allata à fortiori  
hic urget, Gobat *Theolog. Juridico-  
Mor. c. 13. n. 51.*

Resp. ad 3. *Cum facta, que du-  
bia sunt, quo animo fiant, in melio-  
rem partem interpretamur, Reg. 2.*  
*Juris*  
Aa 2

*Juris in s.* Conformiter legi charitatis distanti quemvis habendum pro bono, donec malus demonstretur, *C. unico, de Scrutinio, C. fin. de Præsumpt.* Caupo dubitans, an aliqui se inebriabunt, si illis vinum denegaret, peccaret contra dictam Regulam, & legem Charitatis, ergo non peccat dando illis, ita Sanch. *num. 34.* in simili relatus à nobis *n. 126.* ubi actum, an caupones peccent mortaliter die Jejunii apponentes cibos violaturis jejunium.

Resp. ad 4. Cum Reginaldo *lib. 22. num. 58.* eos obligari sub mortali impedire, & quidem etiam effundendo vinum si aliter non sit impedibilis, charitas enim sicut obligat ad corrigendum fraternè, ita obligat ad subtrahendam materiam peccati mortalis.

Ut tamen effusio sit licita quatuor conditiones Tolet. in summa, *lib. 5. cap. 15.* apud Gobat *num. 54.* vult observandas. Primò, si potest abscondi, non potest effundi. Secundò, si nequit aliter abscondi, quam in ventriculo, licitè ebibitur. Tertiò, prævicens blasphematurum ablato vino, non potest tolli, cum minus malum non sit impediendum per majus. Quartò, vi non potest abscondi, aut effundi, quia vis est actio pertinens ad Magistratum.

In casibus, in quibus caupo mortaliter, peccat præbendo vini copiam usque ad ebrietatem, eum in confessione debere manifestare, quot illi fuerint, & quoties id fecerit, sive cum uno sive cum pluribus, ita Baldell. cit. *num. 22.* approbatus à Gobat *num. 55.* addens, quod non sint necessariae tam graves causæ ad excusandos ab omni peccato eos, qui

ebriosis vinum subministrant, aut non impediunt ebrietatem, quales exiguntur, ut excusentur ij, qui propinando, aut incitando sunt causa ebrietatis, hi enim directè illam causant, secùs subministrans, aut non impediens.

251. *Qu. 2.* An suis convivis apponens vinum cum prævisa eorundem inebriatione peccet graviter, possitque invitare ad prandium, quem scit communiter se plenè ingurgitare. Resp. verbis S. August. *Serm. 231. de temp. Sed illi, qui tales esse volunt, excusant se miserabiliter dicentes: ingratum habeo amicum, si quoties illum ad convivium vocavero, potum ei, quantum voluerit, non dederò &c. In potestate ejus dimitte, ut quantum sibi placuerit, bibat, & si sic se inebriare voluerit, solus pereat, & non ambo pereat.* Igitur S. Augustinus communiter excusat à peccato vinum apponentes convivis suis, etsi prævideant se inebriaturos: dummodo eos non incitent ad nimium potum. Rationem dat Gobat *cap. 13. n. 50.* quod communiter sine gravi offensa nequit negari illis petentibus vinum, negandum tamen est, si potest sine gravi offensa. Ejusmodi tamen non sunt invitandi sine causa rationabili, quia autem invitatio est remotior ab ebrietate, quam vini appositio, idè est difficilius excusabilis ista, quam invitatio.

252. *Qu. 3.* Cùm in conviviis soleant ire in Gyrum propinationes salutiferæ, seu sanitates, quas aptè Gobat *num. 72.* vocat vota vinaria, an istæ propinationes pro sanitate sint licitæ, aut illicitæ, & quàm graviter. Resp. questionem esse dissolvendam ex fine, quæ

pro;

propinans in sanitatem alterius respicit, si hic caret culpâ, licita est propinatio, ut si quis propinet præcisè, ut excitetur memoria illius, in cuius salutem propinat: aut si voce, aut mente precetur DEUM pro sanitate illius, cuius sanitatem bibit.

Erit autem actus superstitiosus, id est, talis, quo DEUS indebitè colitur, quando propinationes sanitatis assumuntur ut medium, quo DEUS inducatur, ut DEUS sanitatem conferat, aut conservet illi, cuius sanitas bibitur, sed illæ non possunt esse medium aptum inducendi DEUM, ut conferat sanitatem, DEUS enim nequit induci per actum indifferentem, cum in hoc sibi complacere non possit, sed propinatio est indifferens, consequenter ineptum medium ad DEI gloriam, hoc ipso autem est superstitio, ex genere illorum, quæ dici solent cultus superfluous secundum quantitatem proportionis ut loquitur D. Th. 2. 2. q. 93. a. 2. in Corp. quia scilicet, ait, non est fini proportionatus, finis autem cultus divini est, ut homo DEO det gloriam, sed propinatio in sanitatem alterius non est de se glorificatio DEI, sed actus præcationis; de quo proximè dictum, si eam comitètur. Item propinatio sanitatum est frequentissimè actus ab adulatione imperatus, adulatio enim juxta S. Th. 2. 2. quest. 115. a. 1. est excessus aliis verbis, aut factis delectandi supra debitum virtutis modum; virtus, cui opponitur per excessum, est *amicitia* seu *affabilitas*, quæ est virtus specialis, hujus munus est hominem convenienter ad alios homines in communi conversatione tam in factis, quàm in dictis ordinare, ut ad quamvis se habeat, secun-

dum quod docet, ita D. Th. *quest.* 114. a. 1. Quapropter adulatio ex genere suo est duntaxat venialis, consequenter propinationes adulatoriæ ex hoc capite non excedunt culpam levem; seu non opponuntur charitati, D. Th. cit. *quest.* 115. a. 2. in quo docet adulationem tripliciter posse contrariari charitati, seu esse mortalem. Primò, ratione materiæ, ut si laudetur peccatum mortale e.g. inebriatio. Secundò, ratione intentionis, ut si propinans aduletur ei, ejus sanitatem bibit, ut noceat &c. Tertiò, ratione effectus, seu occasionis, ut si propinatio sit occasio, quâ visâ alii inebriantur; & ex hoc capite communiter Theologi cum S. Th. *quest.* 43. a. 1. & 2. damnant peccati mortalis eos, qui suo Exemplo præbent aliis occasionem se inebriandi, nihilominus Gobat c. 13. n. 45. putat, quòd rarò quis peccet mortaliter per hoc præcisè, quòd bibendo det ceteris exemplum secururæ in illis ebrietatis, quia communiter tales sunt ejusmodi, qui etiam non videntes exemplum se inebriarent, quo casu dans exemplum, non peccat peccato scandali.

Hinc cit. Gobat, non imponit necessitatem confessario quærendi ex Pœnitente se accusante ebrietatis, an suo exemplo induxerit alios in ebrietatem, sed potius interroget, an suâ propinatione alios excitarit ad se inebriandum.

Sæpe propinationes repetitæ fiunt cum periculo ebrietatis, destruendæ sanitatis propriæ, vel alienæ, cuius læsio pro gravitate, aut levitate, est mortalis, aut venialis, consequenter etiam propinatio tunc est mortalis, aut venialis, ra-

tione autem periculi ebrietatis semper est mortalis. Ex his.

Resp. 2. ad Qu. 3. Cùm in conviviis occasione propinationum communiter propinationes habeant aliquem ex præfatis defectibus annexum, fit, ut plurimum illæ sint peccaminosæ, quando venialiter, & quando mortaliter, attendi debet ad materiam, intentionem, & effectum, ut præmissum est ex S. Th.

253. Qu. 4. An officiales, aut belli duces, Parochi, Canonici, Capellani, qui se propter intemperantem potum faciunt ineptos ad executionem officii, canonicas horas, & missas fundationis dicendas peccent contra justitiam cum onere restituendi correspondens fructus?

Resp. ad 1. & 2. Officiales, aut belli duces (idem de aliis quibusvis ministris Justitiæ) graviter delinquere contra Justitiam, nisi prævideant se habituros supplementem vices cum satisfactione, aliàs per se loquendo tenerentur ad damnorum restitutionem, ac stipendii correspondentis temporis ægratationis, nisi mens dantis stipendium condonet, aut nisi sint incerti, seu dubii, an morbi diuturnitas provenerit ex intemperantia, debet enim constare inde morbum promanasse.

Responsio tota est in simili apud Gobat cap. 10. num. 22. juncto 24. & 29. in edit, autem veteri à num. 30. Ratio, quia Justitia commutativa eos obligat ad officii executionem per se, aut per alium æque aptum, juxta Reg. 62. in 6. qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum, & ideo supplementes munus per alium liberantur à restitutione damnorum secus non supplementes,

Idem est de carentia stipendii, nisi superior potestas condonet.

Resp. ad 3. De Parochis: aut eorum redditus sunt ampli, aut exigui, ita ut non superent alios labores distinctos à penso horario? si hoc secundum, nihil debent restituere ob Horas etiam semper omittas, dummodo alios labores interim per alium obeant, Gobat num. 33. post Sanch. lib. 2. Conf. cap. 2. dub. 83. contra Soarez tom. 2. de Relig. lib. 4. de Horis Canon. c. 30. num. 6. Ratio, quia si alii labores aquant fructus, non est ratio illos obligandi ad restitutionem. Si autem fructus sint ampli, id est, excedentes onera Parochialia, seu tanti, ut etiam correspondeant penso horario, etsi spectato juris rigore esset restituenda portio commensurata omissis horis tempore morbi ex intemperantia contracti, videtur tamen Ecclesia condonare, quia DD. apud cit. Gobat nullam faciunt differentiam inter morbum culpabiliter, & inculpabiliter contractum propter omissum officium, sed simpliciter deobligant, sicut Ecclesia condonat sex primis mensibus non recitantibus, ita Pius V. in Extrav. Ex primo Lateranensi.

Resp. ad 4. Cum Canonicorum Ecclesiæ, sive Collegiatae, sive Cathedralis ferè totus labor sit recitatio Horarum, probabiliter deobligatur restituere fructus, qui correspondent Brevario omissis ob morbum culpabiliter contractum ex ratione proximè adducta pro Parochis. Non obstat Regula Concilii Lateranensis III. Sess. 6. §. statuiamus, datam ob causam causam non secuta restitui debet; nam ea procedit per se loquendo, nempe spe-

ctar

Etato rigore juris, si hoc non sit remissum, defacto autem esse remissum suadet allata nuper ratio, cit. Gobat.

Resp. ad 5. Capellanos ob missas ratione morbi culpabiliter contracti neglectas, non esse immunes à restitutione pensionis eisdem missis correspondentem. Ratio quia nequit prudenter praesumi de fundatoribus Capellaniarum voluntas remittendi, sicut habemus fundamentum de remissione respectu negligentium Horas ob morbum culpabilem. Verum etiam de dicto Capellano idem sentit Tamb. *lib. 3. de Missa Sacrificio cap. 6. §. 2. n. 7.* eò quòd non constet de positiva voluntate fundatoris exigente restitutionem, cujus opinionem cit. Gobat *num. 35. & tract. 3. num. 581.* iudicat non esse improbabilem. Mihi non placet.

254. *Qu. 5.* An mereantur infernum immoderato potu, aut cibo causantes octo, aut decem dierum Podagram, Chiragram, stomachi nauseam, dolores capitis. Resp. affirmativè de primis duobus, de posterioribus binis etiam tunc quando nausea, aut dolor est gravis sex, aut octo diebus durans, secus si duret uno, ita Gobat *Theolog. Juridico-Mor. cap. 10. num. 15. & 20.* Ratio, quod nemo membra viva, quorum non est Dominus, sed ministrator potest torquere malo tam gravi sine gravissima causa, sed omnia praefata quatuor mala octo, aut decem dierum sunt gravia, nullusque est Dominus membrorum suorum, ergò. Videtur tamen dolor diei unicus causari posse sine mortali, nam non videtur DEUS, & natura imperasse tam rigitè conservationem membrorum suorum, ut quis toties peccet mortaliter, quoties dans operam

rei illicita, praevidet indè oriturum malum mediocre duraturum die unà.

Dices, qui esset causa Podagrae, aut Chiragrae proximi etiam die unico, peccaret mortaliter, ergo etiam causans eam in se, consequentia hæc est Cajet. *2. 2. quest. 150. a. 2.* docentis, quod in naturalibus peccet mortaliter se privans, sicut privans proximum; assentitur Less. *lib. 4. cap. 3. num. 18.* Baldell. *lib. 5. Theolog. Mor. D. 30.* Resp. negando consequentiam cum Gobat *num. 14.* Disparitas est, quod administratori rerum alienarum plus permittatur circa res administrationi ejus concreditas, quàm circa res non concreditas, undè nemo dicit, quod quantitas eadem, quæ sufficit ad furtum mortale ex rebus administrationi non subjectis sufficiat ex rebus administrandis Tanner *tom. 3. D. 4. quest. 8. num. 118.* undè Bannez *2. 2. quest. 66. a. 6.* administratorem multorum millium aureorum Regis furantem centum, aut 200. à peccato mortali absolvit (verum non benè) Item ut Beneficiatus, etiam in sententia negante esse Dominum reddituum superfluatorum, peccet mortaliter profanando illos, amplior requiritur quantitas, quàm sufficiat ad furtum mortale. Ergò etiam homo circa membra sua habet majorem potestatem disponendi citra culpam mortalem, quàm circa aliena.

*Qu. 6.* An bibones illi, qui ingerunt copiam vini sufficientem pro inebriatione cum proposito id evolvendi, antequam vinum operetur, peccent mortaliter, praesertim si revomant, ut denuò possint ingerere, & an sint obligati ad revomendum? ejusmodi helluones competen-

petente vocabulo Gobat *cap. 8. nu. 39.* appellat porcos, vel canes.

Resp. ad 1. Negativè, dummodo sint certi de exturbando hospite infuso, è stomacho per haustum e.g. olei, vel aquæ tepidæ, aut digitos in os intrusos, qui tunc non est periculum ebrietatis. Gobat *nu. 41.*

Resp. ad 2. Id ipsum, etsi ideo revomant, ut denuo valeant potare, sicut antea cum renovato proposito revomendi ob eandem rationem.

Resp. ad 3. Affirmativè quia malum gravius laudabiliter impeditur per malum minus, sed vomitus est minus malum ebrietate, ergò laudabiliter ebrietate, ergò laudabiliter ebrietas impeditur per vomitum, Gobat *nu. 48.*

Observant autem cit. Doctor *n. 44. & sequente*, rarò esse certos de ejiciendo toto, quia regulariter magnam ingerunt copiam vini, cujus efficaciam difficulter impedire possunt. Deinde demus non peccare peccato ebrietatis, peccant tamen multi illorum mortaliter contra charitatem suam (dum graviter nocent sanitati, stomacho ob summam violentiam) imò etiam alienam, dum malo exemplo provocant ad pares haustus, hoc postremum rarò contingere constat ex *nu. 252.*

255. Qu. 7. An obaratum ducens frequenter ad comestiones, & potationes in cauponam, graviter peccet contra justitiam cum onere restitutionis, & utrum ipsi caupones simili culpæ, ac obligationi subiaceant, talibus instruentes mensas, & vinum vendentes. Dixi *frequenter*, quia semel, aut bis ducere non potest graviter nocere. Quæstionis Resolutio pendet à generalis illius Quæ-

stionis enodatione, nempe an quis licitè contrahat, aut promoveat contractum cum obarato?

Hanc generalem Quæstionem pertractat fuse ac more suo eruditè P. Mol. *tom. 2. de Just. D. 328.* ubi in principio præmittit debitorem tunc in fraudem creditorum alienare, dum videt per novam alienationem se reddi impotentem solvendi debita. Quod sic alienatum est, si est alienatum titulo oneroso, accipiens conscientius alienantem in fraudem creditorum alienare, cogi potest à creditoribus per actionem rescissoriam, ut jura vocant, ad reddendum sic acceptum, ut debitis satisfiat, nullo ei restituto pretio, nisi quatenus in debitoris bonis fuerit reperitum in se aut in æquivalenti, in quo ex pretio evasisset locupletior. Dicta actio non conceditur creditoribus, si non fiat intra annum à die notitia alienationis factæ.

Sic alienatio facta sit titulo lucrativo, is, qui accepit hoc titulo e.g. donativo, debet similiter reddere creditoribus, si hi adversus eum actionem instituant, esto non fuerit fraudis conscientius, Mol. *vers. Quod quippiam &c. vers. seqq.*

Si accipiens ignoravit factam esse alienationem in fraudem creditorum, quocunque titulo accipit, factus est rei Dominus sine onere restituendi in foro, sive externo, sive conscientie creditoribus, Mol. *Conclus. 2. de Dominio* aequilato ratio est, quod supponatur esse alienantis, neque ullo titulo reali obligata creditoribus: & idè in utroque foro evasit rei Dominus; in externo, quia in casu simili jura non concedunt adversus sic acci-

accipientem actionem; in foro interno, quia bonâ fide obtinuit, proinde non tenetur reddere titulo injustæ actionis, non etiam titulo rei acceptæ, quia ut præmissum est alienata res non erat creditorum, nec iis obstructa ullo reali titulo.

Si ille, cui fit alienatio, uti & alienans scit, quod alienatio sit creditoribus fraudulenta, creditoribus intra annum à die scientiæ repetentibus alienatum, hoc aut ejus valor illis in foro utroque debet extradi, quia ut jam initio præmissum est ex Mol. jura concedunt actionem rescissoriam intra annum; hoc elapso accipiens, ad nihil in foro externo obligari potest: sed nec in foro conscientiæ, quia alienatio fuit valida, ut paulò antè dictum, consequenter accipiens factus est Dominus, ita Mol. *Conclus. 3. & 4.* Ex hac generali doctrina.

256. Resp. ad Quæstionem septimam. Vel obaratus per illas computationes, ad quas tu eum induxisti, est factus impotentior ad solvenda debita, vel non: si non, non peccasti contra justitiam creditorum obarati, proinde nec teneris aliquid eisdem restituere. Si est factus impotentior, peccasti contra justitiam creditorum, his enim, & non obarato fit injuria.

Tunc autem fit per computationes pauperior, seu impotentior ad solvendum, quando nequit moraliter tantum acquirere, quantum potuisset, & voluisset dare creditoribus, si non perpotasset.

Si autem post computationes adhuc possit tantum comparare, aut si ante computationes statuit se non soluturum creditores, non fit impotentior, & ideo inducens ad eas non est causa non soluti

R. P. Karch, Diss.

debiti, nec est reus injustitiæ erga creditores, nec debet restituere; è contra tenetur, quando est causa majoris impotentiae.

Ex his fit manifestum quàm graviter, tam inducens, quam inductus obaratus delinquant contra justitiam prolium, & uxoris. Item similem culpam contrahunt mariti omnes sua in hospitii obligurientes, & quotquot cum iis frequenter tabernas adeunt, eisque authores sunt abliguritionis cum ingenti damno uxoris, & prolium.

Caupones conscii necessitatis Domesticorum, quibus tenetur in conscientia maritus providere, tenentur tales non admittere, si est spes eos non diversuros ad aliud hospitium (qualis spes moraliter vix est possibilis in loco, ubi sunt plura hospitia per *num. 126.*) quia charitas obligat impedire calamitatem domesticorum talis mariti.

Dixi *charitas*, quia cum talis maritus, sit verus Dominus pecuniæ, uti supponitur, caupo eam accipiens titulo oneroso nulli est injurius.

257. Qu. 8. An mortuus in ebrietate sit sepeliendus in loco sacro?

Resp. Cum nullus, de quo constat, quod decesserit in mortali peccato, seu qui notorius peccator decesserit, possit tumulari in loco sacro, Laym. *lib. 3. tr. 5. cap. 12. num. 12. ex C. quibus & seqq. 13. quæst. 2.* consequens est eum, de quo constat notoriè, quod in peccato mortali ebrietatis decesserit, esse privandum Sacrà Sepulturâ. Talis autem non est omnis in ebrietate mortuus, quia non presumitur de omni ebrietate extincto, esse extinctum in mortali peccato ebrietatis,

Bb

tatis,

tatis, nisi fuerit solitus se inebriare, Gobat *cap. 50. num. 5.*

Utrum autem extinctus in plena, ac culpabili ebrietate privari debeat à Parocho sepulturâ Religiosâ, Gobat *tract. 4. Theolog. Experim. num. 199.* vult à Parocho observari consuetudinem Diocesanam, quia alicubi conceditur, alibi negatur. In dubio ad declinandas graves agnatorum offensiones, censet mitiora esse practicanda, siquidem, per *C. fin. de Transact.* in iis, in quibus jus non est expressum, in humaniorem partem est declinandum. Unde postea in *Theolog. Juridico - Mor. cap. 50. num. 6.* ita practicè scribit; quando Parochus scire nequit, quæ sit consuetudo suæ Diocesis, nullum privet sepulturâ titulo ebrietatis, nisi duo de illo constent notoriè, primum est, quòd ille biberit usque ad ebrietatem prævisam; alterum est, mortuum fuisse antequam restitueretur rationis usui.

Porrò subdit *num. 8.* non censet Parochus, esse notorium bibisse usque ad ebrietatem prævisam, nisi major pars communitatis, vel viciniæ id resciat, vix autem hoc resciat, nisi communitati, aut viciniæ constet, illum consuevisse se deliberatè inebriare. Quod si notorium quidè sit, eum voluntariè se inebriasse, attamen depulsâ crapula vixisse aliquamdiu cum pleno usu rationis, non erit notorium decessisse illum in statu peccati mortalis, cum comunissimè catholici etiam grandes peccatores advertentes vitæ periculum conentur elicere contritionem. Saltem si ante mortem constet ipsum edidisse quaecunq; Signum pietatis, more Chri-

stiano est efferendus, ita Gobat citans Laym. citato loco.

258. Conf. ex eodem Gobat *num. 7.* quod nullum Jus pontificium reperiatur, quod privet sacro tumulo quemvis in peccato mortali mortuum, sed certa duntaxat sunt crimina, ob quæ jus non concedit sepulturam, recensita à Laym. *num. 10. & 11.* inter quæ non est ebrietas, sed hæresis, voluntaria sui occisio, ommissio annuæ confessionis, & communionis Paschalis notoria citra probabilem causam excusationis, usurarius manifestus, Religiosus proprietarius (hi ipsi tamen, si constet testimonio unius eos signum penitentiae dedisse, possunt donari Sacra Sepulturâ) impœnitentes finales, occisi in torneamentis, seu hastiludiis, aut in duello, demum mortui excommunicati, aut interdicti. Jam sic: juxta *cit. C. fin. de Transact.* in illis, in quibus non reperitur jus expressum declinamus in partem benigniorem. Et idèd P. Simon Felix consummatus Theologus è Societate apud *cit. Gobat* tuetur probabiliter nullum privandum esse sepulturâ extinctum etiam in peccato mortali, nisi hoc sit unum ex illis, ob quæ jus denegat sepulturam.

Ex hoc capite etiam sequentes gaudent sepulturâ: adulter deprehensus in adulterio, & à marito occisus, Joannes Sanch. in *Select. D. 36.* Item Joannes Sylveira in *Opusculis opusc. 2. Resol. 48. quest. 1. & 2.* Stat pro sepeliendis more Christiano iis, qui rixantes se mutuo in rixa occiderunt, aut qui reperti in campo mortui strictis gladiis; meretrix in domo sui amantissimi reperta vulneribus confossa. Ratio horum est, quòd

quòd homo in extremis præsumatur memor salutis, proinde, etsi non constet de editis ab his doloris signis, quia tamen non constat eos decessisse incontritos, in dubio mitior pars præsumenda. Hæc etsi non sint hujus loci, quia tamen non sunt obvia, occasione sepulturæ mortuorum placuit hic adnotare, qui plura de Sepultura aliorum in variis eventibus mortuorum desiderat, videat cit. Gobat cap 50. à nu. 12. ad 82.

259. Qu. 9. An in, & ex ebrietate periculose decumbens sit viatico muniendus, ac extremè unguendus. Hunc casum tangit Gobat num. 11. prius à se decisum in contingentia facti tract. 4. Theolog. Experim. casu 13. à num. 192. cum quo Resp. aut ebrietas est voluntaria, aut involuntaria, seu inculpabilis saltem mortaliter.

Si voluntaria, qualis præsumitur in solito se inebriare per R. J. 8. in 6. qui semel malus, semper præsumitur esse malus: Et ex vita præterita, præsumitur de præsentate C. mandata, & C. cum in Juvente de præsumpt. Unde cit. Gobat approbat factum cujusdam Vicarii

Parochi negantis conferre duo extrema Sacramenta nempe Eucharistiæ, & extremæ unctionis cuidam etsi Sacramentaliter à Religioso confessario post sufficientem materiam absolutionis, & ostensum dolorem absoluto. Causam denegationis allegavit, quod nosset illum hominem esse à temulentia infamem, paulò ante fuisse tumultuantem in plateis &c.

Si autem ebrietas est involuntaria, utrumque præfatum Sacramentum est conferendum, etsi non sit Jejunus, quia ratio Jejunii non habetur in tali periculo; supponitur enim ebrietas non culpabilis, aut saltem non mortalis, sic autem habet jus ad utrumque hoc Sacramentum. Dum dubium est, an fuerit involuntaria, pro hac est præsumendum: unde qui nunquam, aut vix unquam bibendo mentem sepelivit, ebrietas illius est censenda involuntaria, cum de nullo sit præsumendum facile delictum L. merito Socio: donec probetur esse malus, L. omni modo ff. de Inofficios. Test. Vide n. 24. vers. Inf. 3.

\* \*  
\* \*  
\* \*



## §. XXXII.

### De peccatis in ebrietate commissis.

260. **P**lurima ab ebris peccaminosa committi solent durante ebrietate, quorum malitia non æqualiter est imputabilis, etsi fuerint præcognita, un-

de merito horum tractatus spectat ad voluntarium indirectum, quando non fiunt ab ebris ex intentione directa. Eorundem notitia est necessaria confessariis.

B b 2

Qu. 1.

Qu. 1. An omnes actiones, aut omissiones, quæ factæ à rationis compote sunt peccata, patrata in ebrietate sint peccata, & imputentur ad culpam?

Refricanda hic est memoria trium conditionum, sine quibus nullus eventus malus in causa est imputabilis, ac indirectè voluntarius. Prima conditio est advertentia, quod eventus talis sequatur ex causa ponenda. Nec sufficit advertentia de delectabilitate, aut utilitate, quam habet eventus, sed de inhonestate. Secunda, ut sit potentia impediendi eventum. Tertia, probabilius est requiri obligationem vitandi causam etiam per se efficacem eventus mali, ut hic imputetur ponenti causam. De his tribus fusè egi à num. 40. Quid autem veniat nomine causæ per se efficaciæ, aut per se inefficaciæ, reperies num. 38. & 39. Nunc ad quæstionem, cui nequit satisfieri sine multiplici Responsione.

Resp. 1. Nullam imputari in ebrietate involuntaria, ita S. Th. 2. 2. quæst. 150. a. 4. in Corp. excusans eos totaliter à peccato, in se quidem, quia patrantur à rationis impote, in causa verò, qua ebrietas supponitur involuntaria, proinde non præscita.

Resp. 2. Nulla actio, aut ommissio prava secuta ex ebrietate etiam plenè voluntaria, imputatur ad peccatum non præcognita in ebrietate, quia tunc ebrietas est voluntaria duntaxat in esse ebrietatis, secus in esse causæ mali moralis, quia non est prævisa, quod influet in talem actionem, aut omissionem, & ideo hæc tunc non est peccatum, sed effectus peccati, Gobat *Theolog. Juridico-Mor.*

cap. 9. num. 3. ex Auth. mox citandis.

Resp. 3. Etsi eventus, seu effectus mali sint prævisi in ebrietate voluntaria, adhuc tamen non esse propriè peccata, sed effectus peccatorum, imputari tamen ad culpam. Ita cit. Gobat ex Less. lib. 4. de Jusf. cap. 3. nu. 29. Dicastill. lib. 1. de Jusf. D. 3. num. 137. Lug. de Pænitent. D. 16. num. 459 & seqq. imò à num. 440. usque ad 460. Ratio, quia ad peccatum formaliter, & propriè tale requiritur actualis libertas, sed in ebrietate, vel somno non datur actualis libertas, ergo in ebrietate, aut somno non datur formaliter, & propriè peccatum. Omnes tamen CC. DD. fatentur tunc imputari eventus ad culpam, quia ut imputentur, sufficit, si augeant malitiam internam voluntatis se inebriandi, magisque reprehensibilem, ac punibilem reddant; sed si sint prævisi in ebrietate voluntaria voluntatis se inebriandi malitia augetur &c. Hinc voluntas se inebriandi imputatur ad culpam non Sola imputabilitate ebrietatis, sed etiam imputabilitate e.g. adulterii, aut homicidii &c. prævisi, etsi adulterium aut homicidium non sit propriè, ac in se, dum sit peccatum, sed est effectus peccati, nempe voluntatis se inebriandi.

261. Dices actionem, aut omissionem patrata in ebrietate cum prævisione non esse actu liberam libertate formali, & intrinsecâ, esse tamen liberam libertate formali extrinsecâ, seu denominative eo modo, quo actus externus est liber denominative ab actu interno, ergo sicut actus externus est verè, & propriè peccatum;

catum, ita actus in ebrietate prævisus, & secutus.

Resp. Negando assumptum, ad probationem est disparitas magna, quia actus externus actu liberè dependet ab actu interno, ita ut in hujus potestate sit externum actum impedire, aliter se res habet in effectu secuto in ebrietate, aut somno præviso.

Utrumquè exemplificatur, in præviso e. g. homicidio, & patrato in ebrietate. Hoc in casu distinguendi sunt quatuor actus cum cit. Lessio. Primus est, propositum se inebriandi cum prævisione homicidii. Secundus est actualis deglutitio ultimi poculi inebriativi. Tertius est operatio vini in stomacho, ad quam sequitur extinctio usus rationis. Quartus, est actualis gladii immersio in corpus alterius. Totius mali est origo primus actus, nempe propositum se inebriandi, & estque hoc propriissimè peccatum, & quidem in talibus circumstantiis repugnans non soli sobrietati, sed etiam Justitiæ ob prævisum homicidium. Secundus actus est etiam propriissimè peccatum externum, quia dependet ab actu interno libero imperante deglutitionem vini. Tertius est effectus primi, & secundi, sed non est peccatum, quia non est in potestate hominis impedire vini operationem. Quartus sequitur ex omnibus tribus, & estque effectus remotus quidem actus primi, & secundi, proximus verò ac immediatus tertii independens in fieri, id est, dum actu fit, à libertate actuali. Quare tertius, & quartus sunt solum effectus peccati. Primus, ac secundus sunt propriè peccata, primus quidem forma-

liter, ac intrinsecè, secundus verò formaliter, ac extrinsecè.

Instabis, occisor non denominatur homicida, nisi tunc, quandò occisus moritur, ergo tunc occidit, & peccat peccato homicidii.

Resp. Cum Lugo *num.* 450. Concesso antecedente nego consequentiam.

Denominatio homicidii non verificatur, nisi secutâ morte, nam hæc denominatio duo dicit, actionem occisoris, & passionem ex parte passi, seu positionem ultimi termini, qui est mors, hæc positâ verum est, quod ante occiderit, non autem quòd nunc occidat.

Urgebis: ante secutam mortem non incurritur irregularitas, nec excommunicatio, quando occiditur Clericus, ergo eodem tempore est propriè peccatum. Resp. cum Lug. *num.* 453. negando consequentiam, quia tunc incurritur irregularitas, & censura propter peccatum præteritum.

An, si ante secutam mortem agat occisor pœnitentiam, incurrat nihilominus reservationem, censuram, aut irregularitatem, quando hæc pœnæ requirunt effectus secutionem, Resp. Affirmativè Lugo *num.* 453. Oppositum colligitur ex *num.* 237. & seq. Concedo Eminentissimo incurri præfatas pœnas ob peccatum præteritum non retractatum nego autem si sit retractatum ante effectum secutum, quia tunc perinde se habet peccatum, ac si nunquam fuisset. Item verum est, quod postquam est contracta reservatio, censura, & irregularitas, possit homicida justificari per contritionem, quin sublata sit reservatio, censura, aut irregularitas per contritionis actum.

Bb 3

Resp.

Resp. 4. ad Qu. 1. Actiones, aut omissiones prævisas in ebrietate voluntaria non imputari ad culpam tunc, quando actu fiunt, sed tempore, quo imputatur ebrietas, nempe quando elicitur propositum se inebriandi, & actu poculum ad inebriandum sufficiens liberè evacuatur. Prima pars est contra multos apud Lug. num. 439. obligantes ad explicandum in confessione ejusmodi eventus externos & ab his augeri malitiam actûs interni, inter quos est Th. Sanch. lib. 9. de Matr. D. 45. num. 29. Pal. tom. 1. tract. 2. D. 1. p. 3. num. 6. & 7. E contra pro meo asserto stat cit. Lugo à nu. 440. cum Vasquez 1. 2. D. 94. cap. 3. Ratio primæ partis est, nihil potest actu imputari ad culpam, quod actu non est peccatum, sed actiones, aut omissiones, quando actu, & re ipsa committuntur in ebrietate, non sunt peccatum per num. 260. defectu actualis libertatis, ergo quando actu committuntur, non imputantur ad culpam. Ex hoc.

Ratio secundæ partis sponte sequitur ex prima; nam per num. 260. actiones, aut omissiones malæ prævisæ in ebrietate, hujus malitiam augent: si augent, augmentum est imputabile in se, aut in causa; non in se, ut ostendit primæ partis ratio: ergo in causa ebrietatis.

Ex hac resolutione colligo 1. Malitiam eventûs mali in ebrietate prævisi non posse imputari ad culpam graviorem, quam imputetur ebrietas, unde si hæc est solum venialis, homicidium, adulterium &c. in ebrietate prævisum est solum imputabile in linea homicidii, adulterii &c. ad culpam venialem, ad mortalem verò quando ebrietas imputatur ad mortale

cum plenè prævisis eventibus, ita in terminis Less. num. 26. Dicastill. de Jure lib. 1. D. 3. num. 133. Ratio, quia eventus prævisus non potest esse liber libertate alia in casu nostro, quam libertate ebrietatis; in se enim non est liber defectu actualis advertentiæ; sed libertas ebrietatis supponitur esse mala malitiâ duntaxat veniali: ergo etiam homicidium &c. prævisum est solum malum malitiâ veniali.

Colligo 2. Etsi ebrietas fuerit plenè libera libertate ebrietatis, nihilominus eventus malus prævisus e.g. homicidium potest esse duntaxat venialiter malum, ut si advertentiâ ad id secuturum fuit imperfecta, Dicastill. num. 134. quia ad mortale peccatum necessaria est advertentiâ plena, unde libertas ebrietatis in eo casu respectu homicidii non est perfecta, Less. num. 28.

262. Colligo 3. Quando ante ebrietatem occurrit suspicio, scrupulus, aut dubium de malo aliquo in ebrietate patrandi, hoc nequit imputari ad culpam, dummodo ob rationes positivas sibi persuadeat dictas cogitationes esse imprudentes, ita singulariter Gobat cap. 9. n. 35. quia rerum agendarum regula non potest esse, quæ prudenter judicatur falsa, sed requiritur ut sit moraliter infallibilis, sed dictæ cogitationes judicantur fallibiles; prudenter enim judicantur imprudentes, seu nullo gravi fundamento innitentes.

Colligo 4. Videri mortalis culpæ damnandum, qui voluntariè se inebriat cum periculo probabili mali gravis imminentis, etsi talis habeat etiam occurrentes probabiles rationes mali non eventuri, Gobat num. 39. testans se apud nullum legis-

legisse hanc quaestionem. Ratio quia periculum est certum, & duntaxat eventus est incertus, sed hoc ipso adiens tale periculum in re illicita, uti est ebrietas, peccat, quia se exponit peccandi periculo in materia gravi; nisi, ut mihi videtur, prudenter seponat iudicium de probabilitate peccati, & oppositum iudicet.

Colligo 5. Secundum omnes ultra peccatum mortale ebrietatis peccare mortaliter illum, qui advertit periculum mali gravis committendi in ebrietate, & quidem peccato illius speciei, cuius periculum praenoscitur e.g. adulterii, etsi postea non sit secutum, Gobat *num.* 42. Ratio quia in morali aestimatione perinde est exponere se periculo certi peccati, ac hoc committere, uti docet Sourez.

263. Colligo 6. Stante voluntaria ebrietate, nullus omnino eventus ullo modo praevius imputatur ad culpam, etsi sit ex frequenter solitis praticare a tali ebrio, ita in terminis Vasq. 1. 2. *D.* 127. *num.* 8. approbatus a Gobat a *num.* 24. & iis omnibus, qui ad peccatum negant sufficere advertentiam interpretativam, dum scilicet operans actu non advertit, dum potest, & tenetur advertere, quos citat Vasquez *D.* 107. *cap.* 3. & *D.* 123. *num.* 6 & *D.* 124: *num.* 5. Contra Valent. Navarr. & paucos: Quibus mordicus adherent moderni quidam probabilioristae. Ratio autem Corollarii est: quod nihil possit imputari ad culpam, quod non est voluntarium directe, aut indirecte, sed nullus eventus, etsi operans possit, & teneatur advertere ad illum, est voluntarius directe, aut indirecte, nisi actu advertat ad ejus malitiam, id est,

ut utar verbis Vasq. cit. *cap.* 3. *num.* 6. Omnes inquit DD. Scholastici contra aliquos Recentiores conspirant in hoc unum, ut nullum sit mortale peccatum in voluntatis consensu, nisi cogitatio aliqua praecesserit, & consideratio expressa, quam vocant actualem malitiae moralis, vel periculi, vel saltem expressa aliqua dubitatio seu scrupulus: itaque ut quis peccet mortaliter, debet considerare, vel dubitare, vel opus illud esse malum, vel ibi esse periculum malitiae illius, vel scrupulum aliquem saltem habere: quod si nihil horum praecesserit, inconsiderantiam censeri omnino, & consensum, quantumvis longe tempore duret, non esse mortale peccatum: ergo. Major est certa apud omnes ex S. August. *lib.* 1. *Reiract.* c. ult. usque adeo peccatum inquit malum voluntarium est, ut non sit peccatum, si non sit voluntarium. Minor probatur, illud non est operanti (nempe in casu nostro, ebrio) voluntarium; de quo ipse non potuit cogitare, ita omnes ex definitione voluntarii per *num.* 3. sed ebrius non potuit cogitare de malitia eventus ullius, nisi dum propositum habuit se inebriandi, actualiter advertat ad malitiam eventus aliquo modo ex adductis a Vasquez: ergo &c. Minor haec probatur ex S. Th. 1. 2. *quest.* 14. *a.* 6 & ibi Vasq. & cit. *cap.* 3. *num.* 8. consultatio non procedit in infinitum sive versus finem, sive versus media: si enim procederet in infinitum versus finem, nunquam inciperet consultatio, si procederet

deret in infinitum versus media, nunquam finiretur; necesse igitur est venire ad aliquod consultationis principium, à quâ inchoetur consilium, seu consultatio, & ad aliquod medium, quod sit terminus consultationis, principium autem executionis, seu à quo incipit executio, quod enim posterius est consultatione, prius est generatione. Porro principium consultationis est intentio finis; hæc in voluntate oriri non potest, nisi præcedat finis cogitatio saltem apprehensiva; hæc nequit nobis esse libera, aliàs nunquam inciperemus consultare: ergo est nobis naturalis, seu necessaria, proinde est à DEO.

Ex quibus sequitur ebrium non posse cogitare de malitia eventus ullius, nisi præcesserit aliqua de illa cogitatio, sine hac enim consultare non potest de malitia. Quapropter, dum adversarii dicunt, hoc ipso, quod potuerit, & debuerit advertere, & non advertit, eo ipso non advertentia est imputabilis illi, & quidquid cum & ex ea fit. Resp. Nisi actualiter advertat, est implicantia in adjecto, ut quis debeat id facere, quod non potest facere, cum impossibile nulla sit obligatio, ideo miratur Gobat *num.* 29 multos, gravesque Doctores in hunc scopulum inpegisse, ut enim imputetur alicui effectus, non sufficit, quod in actu primo, & remotè teneatur advertere ad illum, sed necesse est, quod in actu secundò, & proximè debeat cogitare, est enim impossibile, ut sub actualis peccati reatu obliget ad aliquid evitandum, aut faciendum, quod hic & nunc non possum evitate, aut facere, sed absque actuali advertentia de aliquo evitabili, aut fa-

ctibili non possum hic, & nunc illud vitare, nec hoc facere.

264. Colligo 7. Non omnia peccata, quæ re ipsa in ebrietate voluntaria contingunt, quorumque discrimini se exponit ebrius, illi imputantur ad peccatum, sed solum ea, quorum sub dubio in ebrietate apprehendit periculum, ita Gobat *cap.* 9. *num.* 79. ex Arriaga in simili *tom.* 3. *D.* 13. *num.* 23. applicans hanc doctrinam cunctis peccatis commissionis, & omissionis, contra quamcunque legem etiam Divinam, & naturalem, nempe nullum posse imputari, nisi præcesserit de malitia actus, aut omissionis opinio, aut suspicio, aut dubitatio, sitne actus, vel omisso moraliter mala, uti constat ex cit. Vasq. *D.* 107. *cap.* 3. cum communiore, quos sequitur Laym. *lib.* 1. *tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 13. ubi circa medium ita loquitur. *Ut consensus voluntatis moraliter bonus, aut malus sit, debet esse rationis superioris, & non tantum inferioris. Ratio inferior dicitur, quæ humanis, ac naturalibus tantum motivis commoditatis, ac delectationis attendit. e. g. commodum, ac utile esse comedere carnes, inimicum è medio tollere. Ratio superior est, quæ rationibus æternis honestatis, vel in honestatis secundum DEI legem attendit. e. g. quod carnis comestio die interdicto, vel hominis occisio sit illicita, seu legi repugnans, quod moderatè suo tempore, loco comedere honestum sit. Dico igitur voluntatis consensum nunquam moraliter honesta.*

nestari, nisi moveatur, & eliciatur secundum rationes aeternas, & nunquam inhonestari, sive ad culpam imputari, nisi eliciatur praeter aut contra antecedentem considerationem rationum aeternarum, dum videlicet voluntas magis putatur se moveri rationibus delectabilis, aut utilis, quam honesti. Quae doctrina à S. Th. 1. 2. quaest. 15. a. 4. ita probatur: Finalis sententia pertinet ad supremum Judicem, sed ratio superior attendens rationibus aeternis Divinae legis, supremus in homine Judex est. Ad hanc enim, puta mentem, pertinet judicare de rationibus humanis, ac temporalibus ab inferiore parte propositis. Cum igitur consensus deliberatus ob quam homo culpandus sit, debeat esse sententia ultima (si enim aliud superius examen in homine superesset, excusare se posset, & dicere, causam non esse omnino discussam, neque Judicium finitum) sequitur hinc, quod consensus in peccatum debeat esse rationis superioris. Haec tenet Laym. quem exhibere placuit. Quia vix apud ullum alium tam clarè leges expositam sententiam Vasquez de actuali requisita advertentia ad imputabilitatem.

Hujus Ratio fundatur in Universalissimo notissimo principio: *Nihil volitum, quin praecognitum* ergo non potest voluntas velle deliberare, seu consultare, id est, inquirere veritatem, nisi priùs occurrat cogitatio super illa, ad mini-

R. P. Karch, Diss.

mum dubia, aut scrupulus: post cogitationem voluntas ex intentione finis movet intellectum ad inquirenda media, seu ad consultandum de illis, consultatio enim est de iis, de quibus nondum est lata sententia, seu Judicium; est ergo judicium practicum voluntatem dirigens ad operandum consequens ad consilium, seu consultationem, haec autem consequitur ad cogitationem naturalem, id est, nobis non liberam per *nu. 263.* de honestate, aut inhonestate actionis, vel omissionis.

265. Utrum autem ad mortalem malitiam necessaria sit apprehensio malitiae moralis mortalis, ut in terminis requirit Tanner *tom. 2. D. 4. quaest. 5. nu. 109.* Cujus sententiam non judico veram, si velit debere formaliter, ac expressè cognosci mortalitatem, assentior verò requiri saltem æquivalenter, id est, sub terminis æquivalentibus e. g. quod sit malum grave, aut graviter prohibitum, vel privet gratiâ, aut causet damnationem, aut displiceat graviter DEO, aut dubitetur, de ejus gravitate, negat autem Vasq. *D. 59. cap. 3. & D. 107. num. 11.* contentus cogitatione confusè proponente, ut peccatum non determinatâ materia particulari, nec sub tali existimatione, ut illud aliquo modo putetur esse leve, quia inquit absque sufficienti examinatione homo se exponit periculo gravioris peccati, idem dicit de eo, qui habet propositum peccandi in universum non determinans materiam pecularem. Contra hanc rationem arguitur eam Gobat *cap. 9. num. 85* quod sapissimè homines rudes non representant tale periculum sed hoc ipso laborant ignorantia inculpabili juxta

CC

pria

principia P. Vasquez requirentis nobiscum actualem advertentiam ad peccatum.

Juxta sententiam Vasquez excipiens confessionem pœnitentis per plures annos Sacrilegi debet inquirere numerum peccatorum, quibus peccavit contra ejusmodi cogitationem confuse proponentem, seu in universum rationem peccati, è contra ab hac inquisitione liberat sententia Tanneri, Gobat *num.* 86.

Colligo 8. Soli illi eventus mali prævisi in ebrietate imputantur ad culpam, qui in ebrietate patrati retinent suam malitiam objectivam, secus non retinentes illam. Ratio est evidens, soli enim illi eventus sunt imputabiles, quorum malitia præcognita est, sed eorum solum malitia potest esse præcognita, qui illam in ebrietate patrati retinent, ergo illi solum sunt ad culpam imputabiles.

266. Qu. igitur 2. Quænam ex actionibus, seu factis, aut verbis in ebrietate, aut somno suam objectivam turpitudinem seu malitiam moralem retineant aut non? Resp. Vasquez *D.* 127. *nu.* 11. Primò ea dicta, quæ in æstimatione hominum non censentur injuriosa, ut contumeliosa dicta, & facta, non imputari. Secundò, ea facta imputantur, quæ inferunt mortem, aliudvè damnum temporale. Tertiò, peccata carnis, ut fornicatio, pollutio, etsi facta in somno non impurentur, imputantur tamen ebrio, disparitatem dat, quod somnus sit causa naturalis, ebrietas verò præternaturalis, & ideo non mirum, quod impurentur ebrio. Quarto facta, quæ causant damnum, sive contingant in somno, sive in ebrietate, imputantur. Quintò, ea peccata, quæ ut impurentur, postulant

fieri scienter, negat imputari, uti sunt blasphemia, infidelitas, perjurium.

Resp. 1. Actiones contra Justitiam, ut verberatio, vulneratio, homicidium &c. retinent suam malitiam, sive enim fiant ab ebrio, sive sobrio æquè nocent proximo. Unde eas prævidens secuturas in ebrietate, debet etiam ex Justitia illam vitare, aliàs secuta damna debet restituere æquè, ac illata à sobrio, Gobat *Theolog. Juridico Mor. cap.* 19. *n.* 2. Quapropter maritus in ebrietate solitus verberare uxorem, proles &c. Triplex peccatum distinctum committit; videlicet ebrietatis, impietatis, ac injustitiæ. Et si ebrius sit invalor vitæ potest servato moderamine inculpatæ tutelæ occidi, quisque enim habet jus vim vi repellendi, ita *S. Th.* 2. 2. *quæst.* 64. *a.* 7. Communiter receptus; si potest fugâ servare vitam invaluus occidendo peccaret contra Justitiam, quia fuga coram ebrio non est ignominiosa, atque adeo est sub obligatione, Gobat *num.* 7.

267. Resp. 2. Actiones venereæ, ut fornicatio, adulterium, pollutio, Sodomia &c. retinent suam malitiam, æquè enim opponuntur generationi licitæ, ac commissa à Sobriis.

Resp. 3. Verba blasphema, hæreticalia perjura, contumeliosa, detractoria saltem quoad gravem malitiam, maledictoria, & turpia ab ebrio prolata non retinent objectivam suam malitiam, ita de primis quatuor cit. Vasq. de iisdem, & ultimis tribus Gobat, & alii apud eum à *num.* 10. ad 50. de omnibus his notanda est doctrina. *S. Th.* 2. 2. *quæst.* 72. *a.* 2. *in Corp. in peccatis verborum maxime considerandum est, ex quo*  
affe.

affectu aliquis verba proferat; Unde cum de ratione convitii, seu contumeliæ sit, ut fiat animo de honorandi, concludit D. Th. eum non peccare peccato convitii, seu contumeliæ, qui verbis convitii aut contumeliæ afficit alterum, animo corrigendi. Subsumo sed ebrius non profert contumelias ex intentione minuendi honorem alterius, ergo non peccat etiam materialiter. Possit tamen transire in malitiam mortalem per accidens, ut si per incautelam prolata auferant honorem, ibidem expressit D. Th. Lugo *de Pœnit.* D. 16. num. 212. ut si cedant in alterius probum, gravem mœrorem, aut aliud grave incommodum, Gobat num. 26.

De verbis detractoriis quod non contineant per se ut prolata ab ebrius injuriam saltem gravem, sufficienter constat ex num. 247. & seqq. non enim pariunt infamiam, imò nec prudentem suspicionem. Dixi *per se*, quia per accidens possunt evadere grave peccatum, saltem contra Charitatem, ut si effutiant occulta delicta, quæ ruborem causent, vel in damnosam suspicionem patrati delicti audientes protrahant, Dicastill. *de Pœnit.* D. 4. num. 421. tunc enim sunt damnosa proximo. Et licet ebrii dicta ingenerarent prudentem suspicionem delicti commissi, non tamen sequitur exinde esse graviter injusta, cum suspicio etiam temeraria de gravi proximi innocentis sceleris probabilis non sit mortalis, Gobat num. 29. ex S. Th. 2. 2. *quæst.* 60. a. 3. *in Corp* ibi: *est autem triplex gradus suspicionis. Primus quidem gradus est, ut homo ex levibus indicis de bonitate alicujus dubitare incipiat.*

Dixi saltem contra Charitatem.

An etiam contra Justitiam, est quæstio sub lite, hanc non lædi graviter sustinet cit. Dicastill. quia potius levitati audientium, quàm assertioni ebrii est attribuendum: probabilis affirmat Lug. *de Just.* D. 14. num. 56. quia gravis rubor, & generatio damnosæ suspicionis non leviter molestat auctorem delicti.

268. De verbis maledictoriis probatur ex S. Th. *quæst.* 76. a. 1. maledictio eatenus est mala materialiter, quatenus est quædam mali precatio, seu optatio, non more psittaci prolata, sed ex animo, hic autem animus deest ebriis, Gobat num. 33. addens ex Joann. Sanch. D. 30. num. 5. quod maledictiones ratione scandali, & offensionis contrahant malitiam alterius peccati, sed raro.

Ex natura maledictionis peccaminosa sequitur communiter parentes, heros, aut heras, uxores in sobrietate graviter execrantes, seu imprecantes, prolibus, famulis, vel ancillis, maritis, aut vicissim non peccare mortaliter defectu animi, seu quia proferuntur sine animo, ut ratificentur, seu ut eveniant illa, quæ imprecantur ita Mol. *tract.* 4. *de Just.* D. 22. num. 4. in peccatis enim verborum est maximè considerandum, quo affectu proferantur per num. 267. ex cit. ibi S. Th. vide Gobat *Theolog. Juridic. Mor. cap.* 29. à num. 24. ubi octo Aphorismos adfert pro directione confessoriorum ex quibus conicere possint, an maledictio fuerit mortalis.

Ego duntaxat tria hic adjicio: Primum est quod maledictio sæpè non sit mortalis prolata etiam ex animo, quia sæpè fit ex subitaneo iræ motu excludente sufficientem pro mortali deliberationem

nem. Secundum est, quod pœnitens interrogatus, an ex animo maledixerit, id est, ob es von Herben gangen seye/ si Respondet affirmativè, non est communiter sensus, quod malum optaverit, sed quod voluntas fuerit linguâ ex irâ impulsu proferendi verba maledictoria. Tertium est, quod licet speculativè sit probabilior sententia, quòd maledictiones ex odio in proximum prolatae pro diversitate specifica malorum sint speciei diversae e.g. imprecatio mortis ab imprecatione infamiae, & hæc utraq; ab imprecatione paupertatis, practicè tamen tuta sit sententia Lugo de *de Pœnit. D. 16. à num. 260.* Dicastill. *de Pœnit. D. 9. num. 498.* negantium maledictiones ex odio prolatae, speciem desumere à diversitate specifica malorum, quia non desiderantur, ut talia sunt, sed quia sunt malum proximi, sub qua ratione generica nullam continent specificam diversitatem, sed omnibus malis communem. Fatendum tamen est D. Th. *a. 4. ad 2.* oppositum tradere, dicit enim quod volens occisionem desiderio non differat ab homicida, quod verissimum esse omnes fateri debent, quando est desiderium efficax, hoc enim tendit in malum, prout est in se, specie non solùm physica, sed etiam morali differt ab altero, ergo.

269. De verbis turpibus probatur cum Gobat *nu. 12.* post Tanner. *tom. 2. D. 4. quest. 8. num. 49.* Filliuc. *tract. 30 cap. 10. num. 207 & seqq. 2.* non retinere malitiam objectivam prolata ab ebriis etsi sciant se habere consuetudinem proferendi turpia, quia turpitudine verbi obsceni sita est, vel in hoc, quòd sit index animi obsceni, aut quod excitet

imaginationem obscenam, animùmque obscenum in se, aut in aliis, aut quòd alios scandalizet; sed non scandalizat, quia auditores potius moventur ad risum, quàm ad indignationem, aut obscenitatè; quod indicent imaginationem turpem, etiam hoc titulo non sunt objectivè mala, quia imaginatio est pœnitus indeliberata. Valet itaque etiam hic principium relatum ex S. Th. *in peccatis verborum maxime considerandum est, ex quo affectu quis verba proferat.*

Siloquamur de Germanis, hi teste Gobat *num. 11.* ebrii potius de vino, quàm obscenis fermocinantur; atque adeò in his ex ebrietate præsumi non potest eos animo fœda agitare, proinde saltem de his non subsistit opinio Cajet. *2. 2. quest. 150. a. 2.* Baldell. *lib. 5. D. 30. num. 3.* Quod ebrii moraliter non possint cogitationes turpes, & verba obscena vitare, unde concludunt, quòd sponte se inebriantes exponant se periculo ebrietatem aggravandi novo peccato mortali contra castitatem, imò & contra Religionem, si est Sacerdos, aut Religiosus ratione Sacrilegii, debeatque talis præsumere se ejusmodi phantasmata animo agitasse, etsi non recordetur, cum in obscuro id inspicere soleat, quod communiter fieri consuevit *L. in obscuris ff. de R. J.* argumentumque à consuetis est utilissimum ad probandum per Everhardum *de locis Loc. 104. num. 1.* Hæc inquam opinio de præsumptione non habet locum in Germanis. Et Joan. Sanch. *in Select. D. 21. num. 13.* irridet eos pœnitentes, qui non contenti accusatione sui de diurnis cogitationibus, ac turpiloquiis, addunt se turpia postea habuisse somnia, dat ratio-

rationem, quod nec in se, nec in causa sint peccata; imò ob hanc rationem non agnoscit ullam culpam in comedente calida intendendo directè immunda somnia. Hæc doctrina universim vera non est, sed temperanda beneficio distinctionis ex iis, quæ de causa per se, & per accidens tradita sunt à *num.* 42.

270. Dico ergò 1. Si ebriantem directè intendendo turpes cogitationes, ac somnia, seu phantasmata inhonesta in somno peccare mortaliter contra castitatem, & votum castitatis, si quod est emissum, Gobat *num.* 16. estque communis, talis enim est causa per se moralis cogitationis, ac imaginationum in somno occurrentium per *num.* 60. quem revidet. Ratio ulterior, quod ubi deficit honestas finis, & intenditur gravis commotio spirituum carnalium, non possit ulla esse excusatio ab incursum mortalis culpæ adversus castitatem, sed procurationis directæ somnii turpis nullus finis honestus esse potest, huiusque directæ intentio habet pro objecto gravem commotionem spirituum carnalium, experientia enim docet, quod turpis somnus vehementer commoveat spiritus carnis, hique sint causa per se efficax pollutionis per se disputata à *num.* 78. præsertim autem à *num.* 81. unde *num.* 85. obligavi ad confessionem secutæ in somno pollutionis, aut saltem ad exprimendum in confessione quod intenderit causam vehementer provocativam pollutionis. Priorem partem tradit etiam Sanch. *lib. 9. de Matr. D. 45.* & quidem à fortiori cum obliget ad confessionem pollutionis secutæ, etsi directè seu in se non volitæ, putat enim esse verè, & propriè peccatum, nisi ante secutam sit cau-

sa ejus per pœnitentiam intercisa, ita ille *num.* 28. juncto 29. & 30. Ei contradiximus *num.* 261.

Dico 2. Ebrii etsi prævideant secuturas turpes cogitationes cum somniis obscænis seclusâ directâ eorum intentione carere turpitudine materiali, seu objectivâ naturali, seu tali, quam lex naturalis prohibeat in ebrietate contingentem, Gobat *num.* 17. & seq. Probatio conclusionis defumenda est ex regulis præmissis à *num.* 91. ubi ostendi nullam causam etiam mortalem à causis luxuriosis distinctam posse transfundere mortalem malitiam pollutioni propriam, quia omnis talis prorsus per accidens se habet respectu pollutionis, dixi tamen leviter esse contra castitatem.

271. Dices ergo is, qui in ebrietate prævidet se per turpem contactum suum, aut alienum polluturum, non obligabitur confiteri pollutionem sic secutam. Resp. Negando consequentiam cum Sanch. *lib. 1. Moral. cap. 16 num.* 44. Vasquez allegato *num.* 266. quia cum sit ebrietas voluntaria, effectus etiam in ea prævisi secuturi ex causa non naturali, sed libera retineant objectivam turpitudinem, atque dum pollutio prævidetur secutura ex proprio, aut alieno contactu, non est effectus causæ naturalis, seu virtutis expultricis, de qua relege *num.* 78. sed libera; nempe manibus propriis, aut alienis: E contra dum contingit sine contactu est effectus naturalis causæ, vini enim copiosior haustus causat naturaliter majorem copiam seminalis humoris, à cujus superabundantia natura intendit se exonerare.

Confirmo cum Gobat *num.* 20. si influxus indirectus, ac per se non causativus pollutionis aggravaret mortaliter ebrietatem ultra hujus malitiam, innumeris scrupulis conscientiae exponerentur homines, quia plurimi facillimè excitantur ad carnis motus, & exinde ad pollutionem, ergo si ad hujus mortalitatem imputandam sufficeret causa etiam per accidens, omnes ejusmodi causa sub mortali deberent exponi in confessione & quidem ab aliquibus, etsi parùm vini biberint, qui nempe experiuntur hunc effectum etiam ad modicè, ac temperatè haustum vinum, hoc autem dici non potest, quin lex naturalis non obliget ad causas tales removendas, at bene sub veniali, si quis ex superfluo haustu prævideat securam pollutionem, quia ratio naturalis dicitur fœditatem talem esse vitandam sub veniali, dum commodè vitari potest, prout potest vitari excessus in potu vini.

272. De verbis Blasphemis probabilius est, ea prævisa in ebrietate hanc non aggravare mortaliter, Vasq. allegatus *num.* 266. Arriag. *tom.* 3. *D.* 44. *num.* 11. id ipsum sentiunt de verbis hæreticalibus, ac perjuris contra Th. Sanch. *lib.* 1. *Decal.* *cap.* 16. *num.* 44. cui adhæret Pal. *tom.* 1. *tract.* 2. *D.* 1. *p.* 3. Gobat *Theolog Juridico-Mor.* *cap.* 19. *num.* 36. quoad Blasphemias valde atroces prævisas, quales sunt apud Germanos verba: **Blut; Sacrament;** Item **Donner/Hagel/ıc. Sacrament;** quia inquit graviter scandalizantur audientes, & ad gravem indignationem commoventur, excipit milites in castris blasphemantes,

quod hi potius ad risum, quam indignationem excitent; reliquas blasphemias vulgares, ac mediocres negat aggravare mortaliter peccatum, uti nec verba hæretica, *num.* 39. nec perjury *num.* 43. & *num.* 37. fatetur etiam atroces non retinere rationem propriè blasphemiae. Lugo *de Pœnit.* *D.* 16. *num.* 207. expressè sentit nobiscum de perjuriis negans retinere suam turpitudinè objectivam, & quod hoc ipsum sentiat de Blasphemiis, & verbis hæreticis, docet Gobat *cit.* *num.* 39. & 43. Ratio de omnibus tribus est, quod propria malitia objectiva Blasphemiae sita sit in imminutione honoris DEO debiti, hæresis in imminutione autoritatis DEI loquentis, perjuri in imminutione testimonii divini assumendo id ad testificandum falsum, sed hæc imminutio in præfatis tribus cessat, dum proferuntur ab ebrio, ut enim imminuant honorem, debent proferri scienter, *Blasphemus*, inquit S. Th. 2. 2. *quæst.* 13. *a.* 3. *ad.* 1. *intendit nocuum inferre honori divino: & a 2. ad 3.* negat esse propriè blasphemiam, dum quis in subita passione prorumpit in verba imaginata propter defectum advertentiæ: & universaliter de peccatis oris, *q.* 72. *a.* 2. *in Corp.* tradit in iis, *Maximè considerandum esse, ex quo affectu aliquis verba proferat*, sed ebrius nullam habet actualem intentionem iis minuendi honorem divinum, ergo iis etiam prævisis nec materialiter peccat. Si tamen in aliquo loco blasphemiae graviter scandalizant, uti apud Catholicos Helvetos Gobat *num.* 38. aut hæreticalia verba eo in loco ubi tam illa, quam hæc

reti-

retinerent malitiam objectivam scandali Gobat *num.* 42. opposita nobis sententia esset locus.

Dices ergo Inquisitores non possunt, procedere contra illos, qui in ebrietate propositiones hæreticas proferunt, siquidem nec materialiter peccato hæresis, nec punire possunt ut hæreticos, nec citare, examinare, ac specialiter in illos inquirere. Resp. Nego illatum, non quidem tam propter verba hæretica, quàm propter præsumptionem, quàm fundant verba sæpius repetita, quod etiam sobrii ita sentiant: puniri tamen ut hæretici non possunt contra aliquos Jurisperitos.

An possit in eos specialiter inquiri, possintque citari, ac examinari, dixi *num.* 247. & *seqq. duobus.* Nempe non posse inquiri sine aliis adminiculis, quia tamen hæresis est crimen exceptum, videretur inquiri posse, & si hoc non liceret, fastamen est talem citare, ac examinare. Vide Gobat *cap.* 50. scribentem *num.* 39 de hæresi, non posse damnari eum, apud quem reperitur liber hæreticus, nec eum, qui legit, retentio tamen, & lectio gignunt suspicionem.

273. Dices 2. Si verba blasphemia, hæreticalia, perjury, contumeliosa, detractoria, maledictoria, & turpia non retinent saltem gravem malitiam objectivam in ebrietate, sequitur, quod consuetudo ex eisdem genita blasphemandi, perierandi &c. non sit in se mala, atque adeò non est obligatio eam confitendi, sicut non est obligatio confitendi præfatos actus in ebrietate commissos, Gobat *num.* 39. & 43. sequela probatur: Consuetudo, seu habitus ex frequentatis acti-

bus inadvertenter factis idè foret malus in se, quia inclinatur ad actus saltem materialiter malos, sed probatum est à *num.* 267. hucusque actus, ad quos inclinatur cum inadvertentia factos, nec materialiter esse malos, ergo consuetudo ex iis genita non est mala ita Joann. Sanch. *in Select. D.* 20. *num.* 5. apud Lugo *de Pœnit. D.* 16. *num.* 205. contra Lug. qui à *num.* 200 distinguit duplicem consuetudinem, unam cum advertentia dictos actus exercendi, seu similes illis, à quibus est genita, hanc confitendi nulla est obligatio, nisi confessarius interroget. Est communis sententia contra Fagundez, Henriquez; quia peccata ex ea commissas non differunt specie à similibus sine consuetudine factis, imò non ita sunt gravia ob minorem libertatem.

Alia consuetudo est dictos actus exercendi cum inadvertentia, hujusmodi habitus voluntariam retentionem esse mortaliter in se malam, proinde in hac velut in sua causa esse dictos actus mortaliter imputabiles, est communissima sententia agud Lugo *n.* 204.

Ut autem occurrat adducto argumento Joannis Sanchez, quo probatur permissionem, seu retentionem habitus talis non esse ullatenus malam, conatur ostendere cum Thoma Sanch. *lib.* 3. *Moral. cap.* 5. *num.* 13. & 14. Soarez *cap.* 6. *num.* 9. & *cap.* 8. *num.* 1. & communiter aliis, esse mortalem loquendo de habitu facilitante ad actus cum inadvertentia factos, aut faciendos extra ebrietatem, aut somnum, seu ab iis, qui habent usum rationis.

Differunt ergo actus commissi in ebrietate, vel in somno à commissis cum inad-

inad-

inadvertentia à Sobriis, quod hi habeant circumstantiam specie diversam à commissis in ebrietate, usus enim rationis specie differt à non usu rationis, & ideo facti à Sobriis etiam in advertenter retinent malitiam objectivam, nam ab audientibus recipiuntur pro veris blasphemis, juramentis, hæresi, & contumelia, qualiter non sonant prolata verba ab ebriis Lugo *num. 211. & 212.* Ob hæc

Resp. Ad objectionem negando sequelam, ad hujus probationem concessã majore, minorem distinguo, probatum est actus, ad quos inclinatur non esse malos materialiter, factos cum inadvertentia in ebrietate, aut somno concedo minorem, factos cum inadvertentia à Sobriis nego minorem & consequentiam.

Hunc modum discurrendi, ut probabilissimum amplectitur etiam Gobat *cap. 19. num. 45 & Theolog. Eper. tract. 7. num. 586.* ubi obligat ad sponte confitendam talem consuetudinem inadvertenter blasphemandi &c. in sobrietate, non quidem cum expressione, quoties blasphemaret inadvertenter, sed quoties blasphemandi periculo se exposuerit, adeoque debet pandere consuetudinem dicendo, e.g. laboro tam inolitã blasphemandi consuetudine, ut si offerretur in die decies, vicies, eã essem abusurus.

Postquã semel talis firmiter proposuit extirpare illum habitum cum do-

lore de voluntaria ejus retentione, conaturque ad abolitionem, deobligatur ab ejus confessione, esto erumpat in veteres blasphemias &c. Sanch. *num. 16.* Soarez *cap. 8. num. ult.* obligantes sic habituum ad declinandas occasiones proximas consuetudinis blasphemandi &c. Quare status hujus peccati cessat, quando firmiter proponit emendandum, & aufert occasiones.

Si post sæpe iteratum propositum nulla sequitur emendatio, cit. Soarez *n. 8.* obligat illum ad acceptandum aliquod remedium à confessario e.g. ut quoties blasphemaret &c. peragat brevem aliquam orationem, aut Elæmosinam det. Hanc obligationem non agnoscit Sanch. *n. 17.* à paritate aliorum peccatorum, in qua quis inadvertenter reincidit.

Utrum tunc confessarius teneatur differre absolutionem, ut si sæpius, quàm bis, aut ter fuerit absolutus, aliqui apud Sanchez *num. 18. & lib. 2. cap. 32.* affirmant Soarez *cap. 8. in fin.* consultit; Sanch. approbat, si confessarius sperat pœnitentem non ægrè laturum, tunc enim foret medicina, absolutionis dilatio, secus non est differenda, nisi suis blasphemis pœnitens ingens præberet scandalum, tunc enim, donec tollatur scandalum, non potest absolvi.

\* \*

## §. XXXIII.

## Corollaria quaedam practica deducta ex decisio §. superiore.

274. **C**orollar. 1. Uxor per se loquendo non tenetur reddere debitum viro ebrio, quia non petit modo humano, per accidens tamen, ut si sit periculum incontinentia, est reddendum, Sanch. lib. 9. de Matr. D. 23. num. 12.

Corollar. 2. Incitare ebrios, stultos, aut infantes ad verba blasphema, ac reliqua, de quibus à num. 267. non esse mortale, nisi fiat incitatio ex affectu pravo in proximum, vel DEUM, quia per dicta non retinent in eo statu malitiam objectivam, Laym. lib. 1. tract. 4. cap. 10 num. 3. Tanner. tom. 2. D. 4. q. 8. num. 143. loquens de amentibus, quibus æquiparantur ebrii & venter Dist. 35. approbat Gobat Theolog. Juridico-Mor. cap. 9. num. 63. addens iram nulli noxiam, & cap. 19 num. 47. oppositum esse decidendum de retinentibus malitiam ita CC.

Corollar. 3. Ebrium deobligari confiteri peccata non solum verbalia, sed etiam realia, seu actiones commissas in ebrietate retinentes malitiam objectivam, cum hoc tamen discrimine, quod verbalia non retinentia malitiam nec in se, nec in causa sit obligatio exponendi per num. 273. retinentia verò non debent in se exponi, quia in se non sunt peccata per num. 260 & seqq. Gobat cap. 9. n. 13.

R. P. Karch. Diss.

cum Lugo de Pœnit. D. 16. num. 440. & pluribus aliis contra allegatos, supra nu. 261. Vide num. 266. ubi de actibus retinentibus malitiam.

Corollario quoad partem secundam non obest praxis proborum virorum ac confessoriorum de necessitate confitendi talia peccata, quia praxis nititur falso supposito, quod actiones illæ sint formaliter, ac in se peccata, Raynaud. in Morali discip. Dist. 4. quest. 1. num. 119.

Unde occidens in ebrietate præviso homicidio sufficienter se expectorabit dicendo: semel me inebriavi prævidens proximum periculum occidendi unum, quin debeat exprimere à se hunc lethaliter vulneratum, aut secutum homicidium, nisi hoc sit reservatum. In ebrietate pessimè tractans uxorem cum liberis sufficit, si dicat: ter fui ebrius, licet confueverim barbarè tractare liberos, & uxorem, Gobat à num. 16. Vide nu. 260. in fine.

275. Corollar. 4. Jactantes se, quod insigniter alios propinationibus immerferint usque ad mentis alienationem peccare mortaliter, si gloriantur formali inebriatione, quia quarunt gloriam ex offensa DEI mortali, in quo quia gloria aequaliter displicet DEO, si se jactans non complacet sibi in peccato, seu de eo non gaudet, fit, ut se jactans non oblige-

D d

ligetur explicare speciem peccati, de quo se jactavit, sed satisfacit dicendo, quod toties se jactaverit de mortali culpa Pal. p. 1. tract. 2. D. 2. p. 11. num. 5. contra Sanch lib. 1. in Decal. cap. 3, num. 13. Cujus opinionem approbat, si jactantia conjunctum sit gaudium, hoc enim omnino variatur specie morali pro specifica diversitate peccatorum, de quibus fit jactantia.

Nihilominus jactantes se communiter non esse reos mortalis existimat Gobat cap. 13. num. 63. quia multi non apprehendunt gravitatem malitiae in tali gloriatione; Rationem dat ex Pal. num. 2. Less. lib. 2. de Just. cap. 47. dub. 6. num. 42. quod Jactantia hæc sit de dexteritate, aut modo, quo compositores vino sunt sepulti.

Providè tamen monet Gobat n. 64. Si materia jactantiae sit ejusmodi, quæ per solam sui recordationem apta est potenter excitare appetitum, uti sunt res venereæ, sumpta vindicta de aliquo, durante adhuc in eum rancore, tunc non facile præsumi potest non intervenisse complacentiam, cum ut plurimum soleat adesse, & ita in dubio est præsumendum.

Hic obiter addit Gobat num. 65, ex Pal. & Dicastill. de Pœnit. D. 9. dub. 8. num. 490. Sicut jactantia de narratis peccatis seclusa complacentiam sunt in infima specie malitiae, ita omnis voti transgressio in quacunque materia interdicta, aut præcepta est ejusdem infimæ speciei.

276. Corollar. 5. Sive quis cum dubio periculo, sive cum certo secuturi e. g. homicidii in ebrietate, se inebriet, certum est utrumque per ebrietatem con-

trahere malitiam homicidii mortalem, minùs quidem gravem cum periculo dubio, quàm cum certo, quia homicidium est minùs voluntarium, cujus eventus est dubius, quàm dum est certus, Arriag. Tom. 3. Theolog. D. 44. à num. 10.

Controverti tamen potest, utrum homicidium dubiè prævisum specie morali differat ab homicidio prævisum in periculo certo? cit. Arriaga propendet in affirmativam, qua in morali aestimatione periculum certum, & dubium specie morali differunt, idque patet in mercatore, qui licitè navigat cum dubio periculo submersionis, illicitè autem certus de submersione ut si ei revelaretur.

Hinc rectè colligit Gobat cap. 9. num. 53. quod ebrius debeat exponere, an se inebriaverit cum periculo dubio, aut certo eventus prævisi, ac secuti in ebrietate, probabiliter tamen ab hac explicandi necessitate liberat, quia ceteri DD. distinctionis præfati duplicis periculi non meminerunt.

Et si sermo sit de peccatis, quæ consumantur in opere externo, aut in potentia distincta à voluntate, sive ea sint juris divini, sive naturalis, Vasq. 1. 2. D. 101. cap. 5. num. 16. dico ejusmodi peccata commissa ex ignorantia vincibili non distinguuntur specie morali à peccatis scienter patratibus, quam opinionem secutus sum olim de humanis Actibus num. 184. ex hac ratione: opera externa sive scienter, sive ignoranter facta manent substantialiter invariata, ergo si adest sufficiens ratio voluntarii, nempe indirectè pendens à cognitione culpabilis ignorantiae, cujus voli-

volitio est indirecta volitio operis mali ex illa facti.

277. Corollar. 6. Etsi ebrietas non sit vitium omnium gravissimum, est tamen (si libidinem excipias) omnium fecdissimum, & probrosum, pars prior probatur, quod peccata contra virtutes Theologicas sint graviora uti pulchrè probat D. Th. 2. 2. quest. 150. a. 3. hisce verbis: tantò aliquid est gravius malum, quanto majore bono privatur, *quandoquidem per hoc dicitur esse malum, quod privat bono: manifestum est autem, quod bonum divinum est majus, quam humanum, & ideo peccata, que sunt directè contra DEUM sunt graviora peccato ebrietatis, quod directè opponitur bono rationis humanae.* Unde cum usus rationis sit nobilius bonum usu rerum externarum, ebrietas est gravius furto, Gobat cap. 7. num. 4. Pars posterior facile patet, quod nullum vitium ita pugnet cum excellentia hominis, quàm ebrietas, æquat enim illum bestiis, privatque summam gloriã, nempe lumine rationis, quod est fons primus omnis virtutis.

Corollar. 7. Stultos, puerosque ante usum rationis inebriare non est culpa mortalis, secluso periculo gravis invaletudinis, aut alterius mali ab iis committendi, unde si quis frequenter pueros in-

ebriet, non excusaretur à mortali, tum quia ebrietas tenella ætati graviter nocet, tum quia ex contracta consuetudine post lumen rationis expositi sunt manifesto periculo mortaliter peccandi. His seclufis malis Ratio Corollarit est, quod in his propriè non possit dari ebrietas, hujus enim malitia est privatio usûs rationis, eo nec stulti nec infantes privantur, Gobat c. 13. n. 39. & 40.

Corollar. 8. Foro externo non esse vitio vertendum, quod ebrios ob delicta in ebrietate patrata puniat, qui aliàs in foro interno sunt innocentes, sic ante annos circiter triginta Græcii quidam capite plexus est ob trajectam in ebrietate fœminam, quia forum externum, cui interna sunt occulta, procedit ex præsumptionibus, præsumit enim notitiam, seu sufficientem rationis usum ad peccatum, Gobat c. 9. n. 69.

Corollar. 9. Non esse mortalem detractionem, si quis referat crimina gravia de aliquo audita ex ore ebrii, quia nullus sine temeritate potest illa habere pro veris per num. 248. sed hoc ipso detra-ctio nequit esse mortalis per se loquendo.





## §. XXXIV.

*Quibus mediis spiritualibus curanda est ebrietas.*

278. **E**Xperientia quotidiana docet ebriosos difficulter ad sobrietatem reduci. Medici tamen spiritualis munus est salutaria antidota præscribere. Plura ejusmodi ex variis Authoribus extracta suggerit Gobat *Theolog. Juridico Mor. cap. 51. à num. 53.* Ego in gratiam eorum, quibus hic liber non est ad manum, excerpti sequentia.

Primò. Novissimorum consideratio. Secundò, Morrificatio inordinatæ vini appetitionis. Tertiò, fuga otii. Quartò, considerando quàm brevis sit delectatio ex vino, econtra ingentia corporis, & animæ damna. Quintò, se non associare potatoribus. Sextò, vovere, aut jurare non bibere vinum extra casum necessitatis, id enim est licitum, ac de bono meliore; per accidens tamen votum, aut Juramentum ejusmodi esse potest illicitum, ut si quis ad eò inveteratam habeat consuetudinem, ut sæpiùs sit violaturus votum, aut juramentum, quàm servaturus. Unde nulli ebrioso est suadendum tale votum, aut juramentum perpetuum, sed ad tempus.

279. **Q**uæres; Quales confessarius ebriosis imponere possit, aut debeat pœnitentias. Resp. 1. Eas solùm sub obligatione implendas injungat, quas executuros sperat, Dicastill, *de Pœnit. D. 14. num. 49.*

Resp. 2. Præter ennumerata numero præcedente sequentia suggerit, Reginald. *lib. 7. num. 61.* ad tempus abstinere à vino, vel illud non bibere, nisi lymphatum, vel parciùs, nequè extra tempus mensæ; vel dum bibit, recordari præsentia divina, aut sibi imponere aliquam pœnitentiam subeundam post excessum e. g. tardiùs, vel de cibus vilioribus comedere, quàm assueverit.

Gobat à *nu. 74.* Proponit sequentia. Primò, confessionem mœnstruam per annum, aut dimidium coram eodem confessario. Secundò, ejurare vinum ad tempus, hoc tamen non imponendum, nec consulendum valde assuetis, quia aut non servant, aut transitus repentinus ab uno extremo ad aliud obest valetudini. Tertiò, firmiter proponere, aut vovere non adire cauponam, aut computationis Socios sine morali necessitate. Quartò, vovere non excessum intra annum dimidium, id est, non bibere ultra mensuram, ultra quàm si bibit, expertus est se inebriari.

Quanam autem ex præfatis antidotis, & quamdiu à confessario possint imponi, dependet à notitia circumstantiarum, & qualitatis pœnitentis, nimirum an sit Ecclesiasticus, aut Laicus? plebejus, aut nobilis? rarò, aut frequenter se inebrians? an consuetudo se inebriandi

andī sit vetus, aut recens? quānam mala secum in eo trahat ebrietas. Quærat ex eo, quodnam ex prænumeratis remediis sibi hæctenus maximè profuerit, aut sperat profuturum. Reducatur ei etiam in memoriam, quantum scilicet per annum soleat potitando consummere: hinc illi indicetur, quānam magnam summan

inter tot annos tam tūrpiter obliguriverit, quam si defactò haberet in crumena, posset sibi, uxoribus, ac filiabus dotandis, consulere. Hæc est monitio sapientis practiccissimi, P. Gobat.

à num. 79.

\* \* \*



§. Ultimus.

Quenam remedia physica arcent ebrietatem?

Quæstio hæc non est extra limites Theologi, & confessarii, uti enim Medicorum est non solum curare corpora, sed etiam præservare à morbis, ita Medici spiritualis est præscribere non solum medicinas curantes ebrietatem præteritam, sed etiam illas, quæ præpediant futuram, siquidem hæc lethalis est animæ, quam præcavere spectat ad confessarium.

Nomine remediorum physicorum contra ebrietatem, intelligo usum illorum, quæ intrò sumpta dissipant vini vapores, nè in caput ascendant in tanta copia, quanta requiritur, ut mens tumuletur. Ejusmodi ex P. Laurentio Forrero, & ex Medicis Levino Lemnio, Joanne Mousino, Hippolyto Guarinonio &c. exscripsit P. Gobat *Theolog. Juridico-Mor. cap. 51. à num. 21.* Ea sunt triplicis generis, quædam enim usurpanda sunt ante potum, quædam in potu, alia post potum.

Ordior à remediis ante potum ad-

hibendis. Primum est comestio crudæ brassicæ cum aceto (ex quâ fiunt acidi caules) & post convivium iterum folia quinque addas, omnis crapula evanescit remanente appetitu, ac si nihil comedisses. Secundò, crocus liquidus haustus, cujus etiam corona imposita capiti dicitur ebrietatem discutere. Tertiò, amara vim vini frangunt, & quotquot aquosos humores per urinam expurgant, hæc enim vinum efferunt, quàm ut subeat venas, ac ex his caput petat e.g. quinque aut sena amara amygdala ante mensam sumpta: Idem præstant nuclei persicorum, aut quatuor, vel quinque cochlearia succi ex foliis persicæ arboris expressi, sumptique Jejuno stomacho: aut nux muscata, quia hæc reddit meatus pervios, sicut etiam oleum olivarum eosdem dilatat, facitque lubricos, ut vinum nequeat hære, modo venter non oneretur nimio cibo. Quartò non bibere vinum ante præmissam cibi solidi comestionem, cibus enim præmissus ener-

D d 3

vat

vat vinum, impeditque nè tam facilè venas subeat, quas facilè ingreditur vacuo stomacho, quia tunc cum nihil sit in stomacho, quod retineat vinum, hoc mox subit venas meleraiicas, ex his transit in hepar, ex hoc in cerebrum.

281. Transeo ad remedia in ipso potu adhibenda. Primò, de vino inebriativo non sumat ultra necessitatem. Secundò, quando sitis nequit exstingui sine haustu largiore, sumatur vinum leve loco generosi, aut si non adsit leve bene aquâ diluat forte, aut patiatu sitim, aut hanc aquâ sopiat, digna enim est his mediis mens, ut integra conservetur. Tertio, non bibatur nisi una vini species, diversa enim pariunt diversos turbulentos, & inæquales halitus; fortibus vinis potest superaddi levior Cerevisia, quia ista vini vehementiam frangit. Quartò, inter pocula non comedantur cibi multum halituosi, seu abundantes copioso halitu, ut legumina, & quia sicut horum halitus caput petit, ita defert secum spiritus vini.

Post largiùs haustum vinum ebrietatem impediatur sequentia. Primò, si

largè aquam superbibas. Secundò, si vinum revomas per *nu* 254. Tertio, si comedas crudam brassicam in aceto, per *nu* 279. Quartò, si capiti imponas coronam ex Croco. Quintò, non regrediariis domo ad auram liberam, donec spiritus vinosi dissipentur.

Est nè prædictorum remediorum; seu alexipharmacorum usus aliquando præceptus. Resp. Quòd sit, nempe in omnibus iis casibus in quibus à *nu* 240. concessi fas esse bibere usque ad ebrietatem, nam haustus vini sufficiens ad inebriandum ex se est illicitus per accidens tamen licitus, videlicet titulo Solius necessitatis, hac sublatâ manet illicitus, sed quando superest medium de se non malum impediendi ebrietatem cessat necessitas, ergo tunc haustus vini sufficiens ad inebriandum manet illicitus, ergo est obligatio impediendi ebrietatem per media de se non mala, sed indifferentia, qualia sunt, quæ attuli per decursum hujus Paragraphi,

\* \*  
\* \*



DIS-